210. I. D. 6

Ex Libris Conventus Labacensis ad D: V: Annunciatam

# LAURUS LESLÆANA EXPLICATA,

*SIVE*

# CLARIOR ENUMERATIO PERSONARUM UTRIUSQUE SEXUS *COGNOMINIS* LESLIE,

UNACUM AFFINIBUS, TITULIS, OFFICIIS, DOMINIIS, GESTISQUE CELEBRIORIBUS BREVITER INDICATIS,

K K LYCEAL BIBLIOTHEK ZU LAIBACH

*QUIBUS*

A ſexcentis, & ampliùs Annis

PROSAPIA ILLA FLORET,

*EX*

Varijs Authoribus, manu ſcriptis, & teſtimonijs fide dignis in unum collecta.

GRÆCII,
Apud Hæredes Widmanſtadij, Anno 1692.

030025980


IACOBUS S.R.I.
CÆSAREI EXERCIT


Grip. Fast.
COMES DE LESLIE
GEN: CAMP: MARESCHallg.
H. M. Wolffgang. sculp.


Grip. Fast.
IACOBUS S.R.I. COMES DE LESLIE
CÆSAREI EXERCITUS GEN. CAMPI MARESCHallus
J. M. Wolffgang, sculp.

# *ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO*

# DOMINO, DOMINO

# IACOBO

## S.R.I. COMITI DE LESLIE, LIBERO BARONI DE BALQUHANE, DOMINO NEOSTADII AD METTOVIAM, PETTOVII, PERNEGG, &c. S.C.M. CAMERARIO, ET CONSILIARIO ACTUALI INTIMO, CONSILII AULÆ BELLICI INT. AUST. PRÆSIDI, GENERALI CAMPI MARESCHALLO, PEDESTRIS REGIMINIS COLONELLO, &c.

*Domino, & Patrono noſtro Gratioſiſſimo.*

PLuribus nominibus *Excellentiæ Tuæ* præ omnibus debetur hæc *Laurus* noſtra *Leslæana*: Si enim *Laurus*; nulli potius dicanda, quam *Tibi*; quæ ad texendas *Tibi* debitas coronas vix integra ſufficeret: Si Leslæana; cujus æquè ac *Tua* ſit? qui antiquiſſimi in genea-

nealogica hac arbore exſtantis rami primus es ſurculus, receptáque â Majoribus decora laureatis *Tuis* honoribus uberrimè augmentâſti. Singulare ſanè fuerit ornamentum Familiæ *Tuæ de Balquhane*, quod eodem nuper tempore in Germania, Scotia, & Moſcovia tres Leslæos ſupremos exercituum Duces ex ſe oriundos ſpectaverit, adeoque ſimul tot lauros promeruerit: Sed, abſit verbo invidia, *Tu* factis *Tuis* omnes ſuperâſti: Fuerint illi æquales magnis belli Ducibus; at *Te* etiam Duces maximi non ſolùm ſuperiorem, ſed & Magiſtrum agnoſcere non dedignantur: plures reportârint illi de hoſte victorias; *Tu* ex viginti; quibus per Germaniam, Hungariam, Belgium interfuiſti præliis, nunquam victus, plerumque victor diſceſſiſti: Intra ultimum tantùm biennium, quo ante graviorem ægritudinem *Tuam* caſtra frequentare licuit, Viennam introducto opportunè præſidio imminentem contra hoſtem providè muniviſti, & allatis poſtmodùm â *Te* ipſo inter primos, ſuppetiis ejus eliberationem inſigniter promoviſti, Tartaros â ſuperiore Auſtria non ſemel fortiter rejeciſti; Virouitizam, Breſovizam, Slatinam, aliaque propugnacula, bar-

baris

baris cæſis, & Cæſareis finibus longè, latè-
que in Sclavonia propagatis feliciter expu-
gnâſti; pauca *Tuorum* millia ad Ternavizam
contra Ottomanici exercitûs robur rarâ in-
duſtriâ, & fortitudine ſervâſti; ac demum
ad Gloriæ *Tuæ* cumulum Pontes Eſſeckia-
nos, & civitatem inter hoſtes cum exigua
militum manu plurium dierum confecto
itinere flammis injectis audacter incinerâ-
ſti, feſtivisq; quaſi ignibus *Tuos* Triumphos
adornâſti: Quòd ſi biennio ſolùm tot, &
tantas Laureas meſſuiſti; quot hactenus, &
quantas meſſuiſſes, ſi infirma *Tua* valetudo
permiſiſſet? Sed fallimur; plures, & glorio-
ſiores meruiſti æger, quàm ſanus, cum ex-
cellentioris longè ſit fortitudinis pati dura,
quàm agere magna: pugnando quippè in-
terdum alios nos integri, & plerumque non
ſoli; patiendo autem continuò nosmetipſos
ſoli, & quidem mediâ tantùm noſtri parte
ſuperamus: unde meritò, qui heroicam *Tu-
am* patientiam in tot annorum acerrimis
doloribus contuentur, illam præ omnibus
*Tuis* facinoribus, quantumvis maximis ex-
tollunt: Verùm non ſolâ invictâ utrâq; hâc
fortitudine Majores *Tuos* exſuperas; pru-
dentiam etiamnum in conſiliis tam publi-

 cis,

cis, quàm privatis, juſtitiam in tribunalibus tum civilibus, tum militaribus, temperantiam in moderandis quibuslibet animi affectibus omnes mirantur, & deprædicant; ut ſileamus Legationum dignitatem, affinitatum ſplendorem, honorum titulos, officiorum magnitudinem, opum abundantiam, ædificiorum magnificentiam, aliaque ornamenta, quæ in illis ſparſa, in *Te* uno collecta reperiuntur: Sed *Laurum* etiam æternam maximè depoſcunt *Tuæ* monumenta pietatis, in quibus hinc Fidei avitæ ſtudium; inde Chriſtianæ charitatis ardorem per fundatas, auctasque magnis redditibus domos, aliaque piæ liberalitatis opera pariter demonſtras. Deniq; ſi noſtra quoque aliquatenus eſt hæc *Laurus*, quatenus ſcilicet noſtro aliquo labore formata, maximè *Tibi* conſecranda eſt *Excellentiſſime Comes* in grati animi pignus, ac monimentum pro tot, tantisque beneficiis acceptis tum â gentilitia *Tua* domo hîc in Scotia, ubi præcipuum in plagis Borealibus habemus paratum, ac potens perfugium; tum â *Te* ipſo, qui & nos, & totam noſtram Societatem ſingulari ſemper benevolentiâ complexus es, & complecteris. Faxit Deus, ut ad plures promeren-

rendas *Lauros* tam in hâc vita, quàm in immortali, & ſempiterna non pro *Tua* tantùm, ſed & DEI, Cæſaris, ac gentis *Tuæ* gloria valetudini priſtinæ reſtitutus diuque ſuperſtes, incolumisq; vigeas: Id votis omnibus, animisque cupimus & apprecamur.

EXCELLENTIÆ TUÆ

*Humillimi & devotiſsimi Servi*

Patres Societatis JESU
Miſſionis Scotiæ.

# PRÆMONITIO AD LECTOREM.

DE quibuſdam præmonitum cupimus Lectorem benevolum tum ejus, tum noſtrâ causâ: Et primò quidem meminerit, omnes, quorum Genealogia indicatur in arbore, vel poſtea explicatur, eſſe Leslæos cognomine, licet â ditionibus tantùm, vel etiam nudo nomine exprimantur: ſupervacaneum enim duximus idem cognomen repetere, niſi ubi intelligendi neceſſitas, vel major claritas id requirit: Secundò advertat ordinem, quem in explicatione ſequimur, is autem talis eſt: Numero ſingulis nominibus in Arbore Genealogica ſubſcripto reſpondet ſimilis numerus in Explicatione, priùs autem arborem ipſam ſeu ſtipitem Familiæ percurrimus, deinde ad ramos eo progredimur ordine, quo quisque â ſtipite poſterior proceſſit; adeoque jure ſucceſſionis eſt illi proximior: idipſum eandem ob cauſam obſervamus in deductione cujuslibet rami minoris à majore, antequam ad alium majorem pergamus: Inter liberos autem eorundem parentum enumeramus primò mares, poſtea fœminas, prout major, minorvè ætas expoſtulat, ſimúlque eâdem methodo filiorum ſobolem, niſi alibi de illis agatur; filiarum verò prolem plerumque omittimus, cum per ſe non ſit Leslæi cognominis. Tertiò excuſet verborum penuriam; quâ nonnunquam cogimur varios titulos, officia, & adagia linguâ Scoticâ, ſive Anglicanâ ſubjungere, cum vix latinè reddi poſſint verbis proprijs eandem vim habentibus, ut patet in verbo Lord, quod apud nos plùs ſignificat quàm Baro, & minùs quàm Comes, convenitque nunc propriè illis, qui poſtremi inter Magnates jus hæreditarium habent ſedendi in Comitijs publicis, quos Dynaſtæ nomine exprimimus; Dominus enim, quo noſtri Authores ad illos deſignandos frequentiùs utuntur, minùs potiùs videtur indicare, quàm Baro, prout modò communiter apud exteros uſurpatur; quorum rationem maximè habendam in plerisque duximus: Quartò ne miretur externus benevolus Lector, hanc Familiam eſſe tam numeroſam, totque reperiri, qui vel extra Scotiam fortunam meliorem quæſiverunt, vel intra eam tenuiore ſunt contenti; quandoquidem apud nos totum fermè patrimonium ad primogenitum ſpectet, & jam dudum non ſint neque beneficia Eccleſiaſtica, neque monaſteria, quibus olim alijs Nobilium liberis in ſtatu cælibe honeſtè providebatur, uſu venire ſolet, ut plures etiam ex ſecundogenitis matrimonium ineant, ſicq; multiplicetur quidem numerus Nobilium, ſed minùs ſimul divitum, quod in alijs quoque familijs primarijs Stuartorum, Hamiltoniorum, Gordonorum, Douglaſſiorum videre licet; Et juſto quidem DEI judicio videtur contingere in vindictam fortaſſis noſtrorum Procerum, quorum plurimis cupido ſe ditandi bonis Eccleſiaſticis cauſa exſtitit Religionem avitam deſerendi. Poſtremò denique loco rogamus, ut illi, quorum intereſt, ignoſcant, ſi multa ſint omiſſa, vel etiam errores aliqui commiſſi, præſertim in recentiorum titulis & Nominibus, cum præſentes temporum circumſtantiæ nos non permiſerint ampliorem de pluribus, ac certiorem notitiam accipere: hoc quidem aſſerere poſſumus nihil â nobis afferri, pro quo fundamentum non habuerimus, & parati non ſimus id requirentibus exhibere: ſuffecturum ſperamus Leslæis, eorumque affinibus, & amicis, in quorum præcipuè gratiam quædam fuſiùs ſunt explicata, quàm alioquin fortaſſis operæ pretium videretur.

Dyna-

# Dynaſtæ ( LORDS ) & Barones ( LAIRDS )

## *DE*

# LESLIE.

## I.

PRimus Dynaſta de LESLIE Bartholomæus, vel ut alij volunt; Bertholdus, fuit ex primariis Nobilibus, ſeu Magnatibus; qui cum Regina Margarita vulgò cognominata SANCTA, ex Hungaria primò in Angliam, indeque in Scotiam venerunt Anno Domini 1067. Regnante inibi Malcolmo Tertio. Delegit is ſibi in conjugem quandam ex Regio Gynecæo præfatæ Sanctæ Margaritæ, cujus nomen vetuſtas abolevit; & ex illa progenuit Malcolmum hæredem, ac ſucceſſorem ſuum; quem tamen nonnulli volunt ex ipſa Regis ſorore ei in matrimonium collocata fuiſſe progenitum. Originem ſuam duxiſſe aſſeritur ex pervetuſto ſanguine Hungarico, & ſpecialiter à Leslæo quodam; qui, ut antiquiſsima referunt Familiæ monumenta; perhibetur exſtitiſſe magnus Imperatoris Locumtenens, cujus etiam filia ei in thori conſortem eſt conceſſa. Ab hoc porro vetuſto Leslæorum cognomine varia ad hæc uſque tempora loca in Hungaria ſuum nomen derivârunt, quæ inter LESLINIA, LESSILIA, LELES ac alia temporum viciſſitudine denominationem immutantia poſſunt recenſeri. Fuit Bartholomæus tantæ æſtimationis apud Regem Malcolmum præſertim ob arcem Edinburgenſem validè à ſe munitam, & ſtrenuè dein propugnatam; ut eum non ſolùm Equitem Auratum creârit, & toto vitæ tempore dictæ arci præfe-

cerit; ſed præterea in præſtitorum obſequiorum mercedem ei conceſſerit; ut, ubi DUMFERMILINGO ſeptentrionem verſùs ſuper eodem equo unâ die iter ageret; intra quamcunq; Provinciam ad pabulandum ſemel deſcenderet; eum totum circumcirca agrũ ad mille paſſus hæreditario jure ſuũ faceret. Primò itaque deſcendit ad FECHIL, nunc dictum LESLIE in Fifa; alterâ vice apud INNERLEPAD in Anguſia; tertiò apud FESKIE, ſeu ESKIE in Mernia; quartò apud CUSHNIE in Marria; & ultimatim demům ad locum dein LESLIE nuncupatum in Gariotha, ubi equus defecit: reducem cum Rex interrogaret ubi equum reliquiſſet, reſpondiſſe ei dicitur, *At the Lesse Ley beſide the mair.* Latine: *In campo minori prope majorem:* tunc Rex advertens locum cognomini convenire; dixit: *Lord LESLEY Shall thou be, and thy heirs after the.* Latinè: *Dynaſta de LESLEY eris tu, & hæredes tui poſt te*: ſimulque donationem omnium illarum poſſeſſionum illi confirmavit; quam & ratam habuit Alexander primus, ejus filius; uti hâc ſuper re adhuc tempore Joannis LESLÆI Epiſcopi Roſſenſis exſtabat diploma Regium apud Baronem de LESLIE; multique ex his fundis etiamnum â Comite de ROTHES LESLIE, ceu ſuperiore ſuo dependent: Robertus VERSTEGAN in ſuis antiquitatibus ſcribens de verbo LEY ita habet; Duello olim in Scotia commiſſo inter Nobilem ex Familia Leslæorum, & quemdam Equitem externum, in quo Scotus fuit victor; in memoriam facti hujus, & loci, ubi illud contigit, ſequentes verſus adhuc in Scotia exſtant.

*Between the LESSE Ley and the mair*
*He sleu the Knight aud left him there.*

Quos ita Latinè reddas.

*Inter majorem campum, campumque minorem*
*Exterus â Scoto victus, ſtratusque remanſit.*

Scribitur hoc Leslæorum cognomen â varijs variè, videlicet LESLEY, LESLYE, LESSELY, LESLE, LESLY, communiùs autem

autem Leslie: De ejus autem origine nihil compertum habemus: videtur quidem illud derivari â Ladiſlao, quod in Hungarico idiomate adhuc magis apparet: conſuêvere enim ſæpius Majores noſtri cognomen Familiæ ſuæ aſſumere ab ipſo nomine alicujus famâ celebrioris Herois. Quod Gentilitia concernit inſignia, quibus Leslæi etiamnum utuntur, ſcutum ſcilicet album, ſive argenteum, ducto per medium baltheo, vel faſciâ cæruleâ tribus fibulis aureis diſtinctâ, quod ſinguli ex utroque latere gryphes rubri erectis pedibus anterioribus ſuſtinent cum lemmate. *Grip Fast* Latinè: *Tene fortiter:* Sunt, qui ſcribunt, illa Bartholomæum ex Hungaria ſecum detuliſſe; alij verò & convenientiùs quidem aſſerunt eidem primò collata fuiſſe â Sancta Margarita Regina, eò quod ipſam ex equo in fluvium delapſam cingulo apprehenderit, ac ſæpiùs inclamantem *Grip Fast*, multo conamine ſalvam eduxerit. Obiit hic Bartholomæus plenus dierum, ac meritorum Anno â parta ſalute 1120.

## II.

SEcundus Dynaſta de Leslie Malcolmus, quamnam duxerit uxorem non liquet: id ſolùm conſtat, quod ex ea ſuſceperit duos filios, Normandum ſcilicet, & alium paterno â nomine Malcolmum dictum, qui poſtmodùm ad bellum contra Saracenos profectus ibidem occubuit. Malcolmus ſenior Bartholomæi parentis veſtigia ſecutus, dum & ipſe vir eſſet ſtrenuus, Equitibus Auratis accenſeri meruit, obtinuitq; â Rege Guilielmo cognominato Virgine confirmationem paternarum poſſeſſionum præter alias â regia munificentia ſibi dono datas; ut teſtantur inſtrumenta publica edita ſub annum â Christo nato 1166.

III.

## III.

Tertius Dynaſta de LESLIE Normandus, cujus Uxor N. STUART filia Dynaſtæ de LORNE peperit ei Leonardum, & Bartholomæum, qui in ipsa pueritia eſt extinctus: Hic Normandus præter confirmata rurſus paterna dominia, per Joannem Hunditoniæ Comitem, Guilielmi Regis filium adeptus eſt anno â partu Virginis 1182. Dominium de KASKEBEN, quod nunc dicitur KEITHHALL, & eſt arx primaria Comitis de Kintor.

## IV.

Quartus Dynaſta de LESLIE Leonardus in conjugem duxit Catharinam MURE, hæredem de TASSEIS in Fifa, ex quâ ſuſcepit Normandum, Leonardum (qui exteras in Provincias militandi ergo conceſſit) & Guilielmum Cupræi Abbatem: Fuit ipſe quoque ex Equitum Auratorum numero, & Vir magni animi, & æſtimationis apud Reges Scotiæ, & Angliæ, de quo mentionem facit liber Clareadi: Per Uxorem acquiſivit Ditionem de TASSEIS; quam usque ad Andream poſſederunt Comites de ROTHES.

## V.

Quintus Dynaſta de LESLIE Normandus ejus nominis Secundus; quænam fuerit ejus conjux, non conſtat; binam ex ea reliquit prolem, Andream ſcilicet hæredem, & Walterum primum Roſsiæ Comitem ex ſtirpe LESLÆANA, de quo infra Num. 134. Normandus hic inter Equites Auratos adſcitus Magni Scotiæ Conſtabularij officium geſsit; quod non longo poſt intervallo hæreditario jure Comitibus de ERROLL conceſſum eſt: Accepit â Rege Alexandro Tertio in do-

donum ſylvam de LESLIE in ſaltu Regio ſub diem 4. Decembris, anno ejus Regni trigeſimo quarto.

## VI.

SExtus Dynaſta de LESLIE Andreas, matrimonium inivit cum filia Dynaſtæ de DOUGLAS, cujus ſucceſſor eſt Marchio Douglaſius, Gentis celeberrimæ Princeps: hæc ei peperit duos filios, & totidem filias; Primogenitus erat Joannes hujus nominis primus; Secundo genitus Georgius, primus Baro de BALKUHANE, ut dicetur num. 53. Filia natu major, Margarita nupſit Joanni INNES Equiti Aurato, & Baroni de INNES: natu minor, Anna Alexandro DUMBAR, Equiti & ipſi Aurato, ac Baroni de WESTFIELD. Hic Andreas Auratis Equitibus adnumeratus accepit cum uxore in dotem agros WOODFIELD, qui modò vocantur BOMAIN, tunc autem erant ſaltus venationibus deſtinati prope Regias arces de FETTERCAIRNE, & KINCAIRNE.

## VII.

SEptimus Dynaſta de LESLIE, Joannes, Eques Auratus, maritali thalamo ſibi conjunxit Margaritam HAY, filiam Baronis de SLAINS, (cui ſuccedit Comes de ERROLL) ex ea habuit binam prolem maſculam, Davidem videlicet, & Normandum, primum Baronem de ROTHES, de quo num. 16. agemus: Perveniſſe fertur Joannes hic ad magnam ſenectutem.

## VIII.

OCtavus Dynaſta de LESLIE, David, & ipſe Auratorum Equitum Albo inſcriptus, duxit in primam thori conſortem Eliſabetham LEITH, hæredem de EDINGARRACH, per quam ei acceſſe-

ceſſerunt fundi de ERLYFILD, & PREMNEY: Quandoquidem autem nullam ex illa prolem ſperare licuit; fratri Normando ultroneè bona reſignavit hâc additâ conditione; ut ſi filios inito poſt uxoris mortem alio ex conjugio procrearet, ad illos bona redirent. His actis Vir provectæ jam ætatis movit in Palæſtinam ſacro ibidem bello contra Saracenos interfuturus, ubi cum ſeptem integros annos manſiſſet, domum poſtliminio reverſus, defunctâ priore conjuge ſucceſſorem ex ſe volens relinquere, jam octogenarius ſecundam accepit conjugem Margaritam DAVIDSONE, filiam Roberti Equitis Aurati, & Præfecti Aberdonenſis, quæ ei genuit filium nomine Alexandrum: At cùm ægrè Normandus ad poſſeſſa jam Dominia denuò reſtituenda permoveretur; ita tandem inter illos conventum eſt; ut Alexander quidem, Davidis filius frueretur Baronatu de LESLIE in Gariotha; Normandus autem retineret FECHIL, TASSEIS, & Dominia in Fifa, ac aliis partibus meridionalibus: Ita diviſis ditionibus Alexander deinceps, & ejus ſucceſſores vocati ſunt ſolùm Barones, & non Dynaſtæ; quæ titulorum diverſitas tum temporis â dominiorum amplitudine maximè dependebat, cum etiam Barones potirentur jure ſedendi perſonaliter in Comitiis publicis (*Parlament*). In ſequentibus Baronibus de LESLIE nihil propemodum memoratu dignum invenire eſt, niſi quod ad ultima uſque tempora ſuperioratum in quibusdam poſſeſſionibus ſervârint, & primarios Comites, ac Dynaſtas nacti ſint Feudatarios. Cæterum ſplendor Familiæ hujus tranſivit â ſtipite ad ramos præſertim de ROTHES, & de BALQUHANE; ex quibus duabus familiis deſcendunt, quotquot hodie exſtant Leslæi alicujus nominis; longè tamen plures orti inveniuntur ex ultima, ut fuſiùs patebit in ſequentibus.

IX.

## IX.

PRimus Baro de LESLIE Alexander, ſupra memorati Davidis ex ſecunda uxore unigenitus, primas nuptias contraxit cum Margarita LESLIE, filiâ Andreæ Tertij Baronis de BALQUHANE, ex qua natus eſt ei filius Joannes veneno adhuc cælebs â noverca ſublatus; & filia unica Joanna nominata, quæ nupſit N. STRACHANE, fratri Baronis de THORNTONE: Secundum matrimonium iniit cum Joanna MOWET filiâ Domini de BALQUCHOLLIE, ex qua Georgium procreavit.

## X.

SEcundus Baro de LESLIE Georgius, primo conjugio aſſociatus eſt Chriſtinæ LESLIE, filiæ Comitis de ROTHES; quæ ei peperit tres liberos, Alexandrum hæredem, Georgium, ac Beatricem; quæ utraque poſtrema proles extincta eſt ſine ſucceſſione: Poſt obitum Chriſtinæ duxit Viduam de THENSTOUNE, Violetam MIDLETONE, filiam Domini de MIDLETONE, (cujus ſucceſſores ſunt Comites de MIDLETONE) & progenuit ex hâc Henricum, & Joannem; Henricus Pater fuit Guilielmi; & hic Georgij, Joannis, Guilielmi, Joannæ, Chriſtinæ, & Margaritæ. Defunctâ & alterâ conjuge, tertiò conjugium repetiit cum Margarita FRASER filiâ Baronis de MUCHILL (qui prædeceſſor fuit Dynaſtarum de FRASER) ex qua procreati ſunt Thomas, & Guilielmus de CHAPELTOUNE, cujus poſterioris uxor Lucretia INNES ei genuit Bartholomæum, & Patritium.

## XI.

TErtius Baro de LESLIE Alexander ejus nominis Secundus, in conſortem accepit Joannam LESLIE filiam Joannis de NEWLESLIE, & ex ea habuit

habuit ſeptem filios, (qui omnes morte abrepti ſunt in tenera ætate) & octo filias, quarum natu major, nomine Chriſtina nuptui tradita eſt Alexandro LESLIE, ſecundogenito Georgii Domini de PITNAMAN, (cujus mentionem faciemus num. 52.) ad quem etiam ex voluntate paterna Baronatum de LESLIE tranſtulit.

## XII.

QUartus Baro de LESLIE, Alexander ejus nominis tertius; cujus uxor Chriſtina LESLIE, filia, & hæres Alexandri Baronis tertij de LESLIE mundo dedit binam ſobolem maſculam, Joannem, & Walterum.

## XIII.

QUintus Baro de LESLIE, Joannes in conjugem duxit Eliſabetham DEMPSTER, filiam Baronis de MURESK: Ex ea geniti ſunt illi quinq; mares, & totidem fœminæ: Filij omnes extincti ſunt impuberes præter Patritium.

## XIV.

SExtus Baro de LESLIE, Patritius junxit ſibi primo matrimonio Margaritam LUMSDELL, filiam Domini de CLORAST, (ex qua natus eſt Georgius) altero verò Saram KEITH, filiam Baronis de INVERUGIE.

## XV.

SEptimus Baro de LESLIE, Georgius ejus nominis Secundus, delegit ſibi thori conſortem N. LESLIE, filiam Patritij, primi Dynaſtæ de LINDORS, ex qua fertur habuiſſe filium Thomam, qui ad exteras Regiones profectus eſt, nec de eo amplius quid-

quidquam auditum. Hic proinde Georgius fuit ultimus Baro de Leslie ex Leslæano cognomine, qui Baronatum jam priùs ære alieno gravatum deteriore in ſtatu reliquit: Unde Joannes Forbes, filius Baronis de Monimusk accipiens in conjugem ejus Viduam perſolutis debitis Baronatum de Leslie in Forbesiorum familia hucusque ſtabilivit; qui tamen Gentilitiis aprorum capitibus fibulam auream inſeruerunt in ſignum affinitatis cum Leslæis, & ſucceſſionis, licet non hæreditariæ, in Baronatu de Leslie.

## Barones, Comites, & Duces de Rothes,
### Dynaſtæ (Lords)
### *de*
# Leslie.
### XVI.

Primus Baro de Rothes Normandus, Eques Auratus, ſecundogenitus Joannis Septimi Dynaſtæ de Leslie, ut vidimus num. 7. licet alij aſſerant eum fuiſſe primogenitum; quibus tamen adverſantur tum ea, quæ ſuperiùs attulimus ex Genealogia antiqua Epiſcopi Roſſenſis loco jam citato, tum etiam Baronatus de Leslie remanens ſupra memorati Davidis poſteris: Verùm cum Normandus præter amplas poſſeſſiones in diviſione retentas inſuper ſibi adjeciſſet dominium de Rothes per dotem uxoris Marioræ Leslie, unicæ filiæ, & hæredis Walteri de Rothēs; quantùm deinceps familia Baronum de Leslie imminuta eſt in divitiis, & ſplendore; tantum hæc de Rothes incrementum ſumpſit; cujus primogenito inter alias dignitates jam dudum hæreditario jure competit officium Vice-Comitis Provinciæ Fifæ, (*Shireffe Principall*) & Præfecti (*Proveſt*) Cupræi, Urbis primariæ iſtius Provinciæ: Suntque Comites de Rothes ex antiquioribus Regni, nec munerum geſtorum magnitudine, aut affinitatum ſplendore ullis ſecundi.

## XVII.

SEcundus Baro de ROTHES, Georgius filius Normandi accepit in conjugem Margaritam SETON, filiam Dynaſtæ de SETON, cui ſuccedunt Comites de WENTONE: ex ea procreavit Georgium, & duas filias, Mariam nempe, quæ ingreſſa eſt Monaſterium Sacrarum Virginum, & Eliſabetham, quæ nupſit Comiti de ORKNAY.

## XVIII.

TErtius Baro de ROTHES, Georgius ejus nominis ſecundus maritali thoro junctus eſt N. ABERNETHIE, quæ ei genuit Georgium, & Joannem primum Dominum de PITNAMON, de quo agemus num. 50. Per illam ſibi adjecit amplum dominium de BAMBRIGH, quod hucuſque etiam poſsidetur ab ejus poſteris, & Marchionatûs titulum nuper dedit Joanni Duci de ROTHES: Propter eandem Georgij uxorem Familia de ROTHES adjungit Leslæorum fibulis, quas gerit in baltheo, inſignia Abernethæorum, Leonem rubrum nempe in campo aureo cum vitta nigra per modum balthei deſuper inducta.

## XIX.

PRimus Comes de ROTHES Georgius, filius Georgij Baronis Tertij, cujus conjux Joanna SINCLAR, filia Comitis de CAITHNES, vel ut alij ſcribunt de ORKNAY ei peperit duos Mares, Georgium & Guilielmum, qui illi ſucceſſerunt; filiam itidem unam nomine Chriſtinam, quæ nupta eſt Georgio ſecundo Baroni de LESLIE. In Gordonorum genealogia refertur, huic Georgio traditam eſſe in matrimonium Sororem Alexandri primi Comitis de HUNTLIE, cujus Succeſſor eſt Dux de GORDON in plagis Septentrionalibus potentiſsimus: Suſce-

ſceperat prius hic Georgius ex Nobili quadam fœmina alium etiam Georgium, primum Dominum de AIKENWAY, de quo infra num. 43. Cæterùm fuiſſe perhibetur ab Anglo hiſtorico HOLLENSHED, vir miræ prudentiæ, & fortitudinis, quem & Jacobus ſecundus inter Comites adlegit anno 1449.

## XX.

SEcundus Comes de ROTHES, Georgius ejus nominis inter Comites ſecundus conjugem duxit Ægidiam DOUGLAS, filiam Comitis Anguſiæ, ex qua unicum habuit filium Walterum ob raræ dotes pulchritudinis formoſum cognominatum, qui nondum matrimonio adſtrictus obiit ante patrem.

## XXI.

TErtius Comes de ROTHES, Guilielmus ſecundogenitus Georgij primi Comitis, & frater Georgij ſecundi, in uxorem adlegit Margaritam BALFOURE filiam Baronis de MONITWHANIE, quæ mundo edidit, tres mares, & quatuor fœminas, Georgium ſcilicet, Joannem de PARKHILL, & Jacobum Eccleſiaſticum: Joannes filiorum medius matrimonium contraxit cum N. MONCRIEFF filia Baronis de MONCRIEFF, ex quâ nata eſt ei filia, nupta Alexandro DUMBAR, Equiti Aurato de ERDNOCH, & Vice-Comiti Provinciæ Moravienſis. Filiarum Guilielmi Comitis prima Baroni de PITMILLY, altera Domino de VOODIE, tertia Domino de RAMORGNIE, poſtrema Davidi RAMSAY Domino de GRANGE nuptui data eſt: Guilielmus hic in celebri illa pugna apud FLAUDEN Scotos inter & Anglos commiſſa occubuit.

XXII.

XXII.

QUartus Comes de ROTHES, Georgius ejus nominis tertius primum conjugium celebravit cum Margarita CRICHTONE, filiâ Dynaſtæ de CRICHTONE, ſupremi Scotiæ Cancellarij, & nepte Jacobi tertij ex ſorore, quæ deſtinata fuerat ſponſalitiis Regis Daniæ: Ex hâc plures adeptus eſt liberos: Primogenitus Georgius, qui varijs ſcientijs inſigniter excultus perhibetur, adhuc cælebs obiit: Secundogenitus Normandus fortiter ſæpius, & feliciter pugnaverat contra Anglos; idquè præſertim anno 1544. ad PANNERHEUGH prope JEDBURGUM, ubi eos magnâ clade affecit: Hanc tamen inſignem gloriam multùm obſcuravit cæde Cardinalis BETONII, quam ei ex privata vindicta intulit; iſtam labem ſibi & familiæ inuſtam facti pœnitens, quantùm potuit, delere conabatur; uſque dum in Galliam delatus, & Scotis equitibus præfectus, pugnâ incaleſcente hoſtem inſequens ſclopeti glande ictus, & paulò poſt ê vivis ſublatus eſt ad MONTREUL in Picardia 1554. Tertiogenitus Guilielmus Dominus de CARNE in CARS ſucceſsione caruit: Poſtremus erat Robertus, de quo infra num. 36. Ex filiabus natu major Joanna primas nuptias contraxit cum Barone de AUCHTONE; ſecundas cum Barone de GRANT: Helena altera ejus filia tradita eſt in uxorem Baroni de PARBROTH; & eo defuncto Dynaſtæ de NEWBOTLE prædeceſſori Comitis Laudoniæ: Et hæc de utriusque ſexûs ſobole, quam ex primo matrimonio nactus eſt, dicta ſunto. Alteras nuptias iniit ſupranominatus Georgius cum Eliſabetha GRAY, filia Dynaſtæ de GRAY, antea jam maritali thalamo conjunctâ Dynaſtæ de GLAMES, (cujus ſucceſſor eſt Comes de STRATHMORE) & poſt eum Comiti de HUNTLIE; de procreatis ex illa liberis nihil conſtat: Tertia ejus uxor Agnes SUMMERVELL, filia Joannis Equitis Aurati, & Baro-

nis

nis de CAMBUSNETHANE, antehac Dynaſtæ de FLEMING, prædeceſſori Comitis de WIGTOUNE conjugata : plures hæc ei filios genuit, Georgium nempe hæredem, Petrum, & Jacobum, (qui duo poſtremi defuncti ſunt ſine prole.) quatuor itidem filias; quarum natu maxima Anna nupſit Baroni N. DOUGLAS de LOCHLEVEN, Anteceſſori Comitum de MORTON; altera Joanna N. COCKBURNE, Baroni de LANGTON; Tertia Beatrix Domino de CREICH; ultima Euphemia Baroni de BALCOMIE. Poſtremo, & quarto quidem matrimonio ſibi conjunxit Eliſabetham LUNDY, filiam Baronis de LUNDY antea maritatam Comiti de CRAUFORD, quæ nullam ei prolem reliquit. Cæterùm hic Georgius vir valdè prudens per amplas uxorum dotes, varios fundos per avum, & patruum in hypothecam datos redemit; & Dominium de NEWTOUNE in Fifa acquiſivit; cumque ad varios Reges & Principes legatione functus eſſet, primus Procerum electus eſt; Qui ipſorum nomine aſſiſteret nuptiis Reginæ Mariæ cum Delphino Galliæ 24. Aprilis anni 1558. in urbe Pariſienſi ſolemniter celebratis, quo munere obito extinctus eſt Diepæ in reditu 9. Novemb. ejusdem Anni non ſine ſuſpicione præbiti veneni.

## XXIII.

QUintus Comes de ROTHES Andreas, filius Georgij ex tertia uxore junctus eſt primo matrimonio Joannæ HAMILTONE, filiæ Dynaſtæ de EVINDALE, Regni Theſaurarij, & nepti Comitis Arraniæ, cujus Dux de HAMILTONE primus Scotiæ Procerum ſucceſſor eſt: Ex ea habuit tres filios Jacobum hæredem; Patritium de quo infra num. 27. & Andream, qui tenera in ætate vivere deſiit: Filias ex eadem nactus eſt ternas, quarum primogenita Margarita nupſit Comiti de MORTON; altera Dynaſtæ de LINDSAY; poſtrema Ba-

roni de WEIMS, & eo ê vivis ſublato, Baroni de FINLATOR; quorum amborum poſteri Comitum gaudent dignitate: Alterum connubium iniit Andreas cum Joanna RUTHWEN filia Comitis de GOURY: Tertiò maritalem fidem addixit Margaritæ DURIE filiæ Baronis de DURIE, ex qua ſuſcepit Joannem, de quo vide num. 33. Georgium, & Robertum (qui adhuc cælibes morte abrepti ſunt) & tres filias, quarum prima nuptui tradita eſt N. CUNNINGHAME Baroni de CAPRINGTONE; altera Baroni de MELVIN; tertia Baroni de SINCLAR; quorum duorum ultimorum Succeſſores Dynaſtarum numero ſunt adlecti. Hic Comes Andreas procreavit itidem ex alia quadam fœmina Andream Vice-Colonellum, & militem inſignem in Germania; prælatus autem creditur in ſucceſſione Roberto ſupra memorato fratri ſeniori ex eo; quòd Comitatus de ROTHES ob necem Cardinali BETONIO â Normando hærede illatam fuiſſet fiſco addictus, & Andreæ deinde potiùs quam Roberto ex dono Reginæ Mariæ redditus ob affinitatem contractam cum Hamiltoniis, qui tunc in aula erant maximè potentes, & præſertim in gratiam Theſaurarij ejus ſoceri.

## XXIV.

JAcobus Dynaſta de LESLIE (pro more Patriæ ita dictus, & non Comes de ROTHES, eò quòd mortuus ſit ante Patrem) primas nuptias contraxit cum N. LINDSAY, filia Dynaſtæ de LINDSAY, ex qua ſuſcepit quinque filias, Margaritam ſcilicet Joanni MURRAY; Iſabellam Domino de NEWHALL; Annam Domino de TAIRIE; Ægidiam Comiti de DUMFERMLING nuptui traditam; & Mariam filiarum ultimam in flore ætatis extinctam: Secundum conjugium celebravit cum Catharina DRUMMOND, filia Dynaſtæ de DRUMMOND, cujus

Succeſ-

Succeſſor Comes de PERTH nunc Supremo Regni Cancellarij munere fungitur; habuitque ex ea Joannem, & Joannam Baroni de WEIMS in uxorem datam.

## XXV.

SExtus Comes de ROTHES, Joannes junctus eſt matrimonio cum Anna ERSKINE filia Comitis MARRIÆ, ex qua trinam prolem progenuit, Joannem videlicet hæredem, & Marioram, quæ primò nupſit Dynaſtæ de BALGONIE primogenito Comitis de LEVIN, dein Comiti de BACKLEUCH, & poſtremò Comiti de WEIMS: Chriſtina liberorum ultima data eſt in conjugem Comiti de EGLINGTONE. Joannes hic vir inſignis prudentiæ, & ad primaria Regni negotia adhibitus, veneno, ut eſt ſuſpicio, â *Rebellibus* propinato Londini extinctus eſt.

## XXVI.

PRimus Dux de ROTHES Joannes, filius unicus Joannis Sexti Comitis, maritali thoro ſibi ſociavit Annam LINDSAY, filiam Comitis de CRAUFORD; ex qua duas ſolummodò reliquit filias, Margaritam ſcilicet nuptui datam Comiti de HADDINGTON ex Hamiltoniorum familia, & Chriſtinam uxorem Marchionis de MONTROSE, & poſt eum Joannis BRUCE primogeniti Guilielmi Equitis Aurati, & Baronis de KINLOSSE. Hic Joannes poſt infelicem pugnam ad WORCESTER diu in Anglia captivus detinebatur; Rege dein Carolo ſecundo ad Regna reverſo, factus eſt primò Regiarum excubiarum Præfectus, mox theſaurarius, & omnium Scoticarum copiarum Generalis, paulò poſt ſupremus Comiſſarius, ac demum uſque ad mortem magnus Regni Cancellarius; creatus fuit ab eodem Rege Dux de ROTHES, & Marchio de BAMBRIGH,

BRIGH, &c. quæ dignitas etiam ad mares poſteros devoluta fuiſſet, niſi eis caruiſſet; unde illi ſucceſſit in Comitatu tantùm filia natu major Margarita, cujus primo-genitus Joannes Dynaſta de LESLIE aſſumpto cognomine, & inſignibus Leslæorum, poſt obitum Matris futurus eſt Comes de ROTHES. Fuit Joannes Dux, vir multis nominibus præclarus, aſpectu gratioſus, ingenio acutus, in aulâ ſplendidus, erga æquales humanus, erga inferiores benignus, & liberalis, Principibus gratus, omnibus acceptus, & charus; mortem oppetiit Edinburgi anno 1681. & inde maximâ cum pompa ad ſepulchrum prope arcem ſuam elegantiſſimam de LESLIE in Fifa delatus eſt.

## Dynaſtæ (LORDS) de Lindors, & de Newwarke
## LESLIE.
### XXVII.

PRimus Dynaſta de LINDORS Patritius hanc dignitatem â Jacobo ſexto obtinuit; patrem habuit Andream quintum Comitem de ROTHES, ut paulò ſuperiùs vidimus num. 23. matrimonium inivit cum Mariora STEUART, filiâ Comitis de ORKNAY, & ex ea procreavit cum quinis filiabus totidem filios; Patritium nempe, Jacobum, Robertum, Ludovicum, Davidem: primi duo illi ſucceſſerunt; tertio-genitus Robertus duxit primò in conjugem N.N. Anglam, ex qua procreavit Georgium Capitaneum, Jacobum Vice-Collonellum, & Suſannam, quæ nupſit Georgio ARNOT Domino de GRANGE. Poſt Anglæ è vivis exceſſum Robertus connubio ſibi junxit Catharinam BASSET, pariter Anglam; ex qua ſuſcepit filiam nomine Charlottam: quarto-genitus Patritij fuit Ludovicus Colonellus, de quo mox dice-

dicemus num. 31. natu minimus extitit David, de quo vide num. 32. Filiarum primogenita tradita eſt in conjugem N. SINCLAR Baroni de MAY; altera Georgio LESLIE Baroni de LESLIE, & eo defuncto Joanni FORBES, qui Baronatum de LESLIE poſtea ſibi appropriavit, ut retulimus num. 15. Tertia maritum habuit N. DRUMMOND Baronem de MATHERTIE, cujus poſteri ſunt nunc Dynaſtæ: Quarta nuptui tradita eſt Joanni CUNNINGHAME Domino de BROOMHILL; poſtrema Davidi BARCLAY Equiti Aurato de COLARNIE.

## XXVIII.

SEcundus Dynaſta de LINDORS Patritius ultimò memorati Patritij primogenitus ê vivis diſceſſit ſine relicto legitimo Succeſſore; utpote, qui matrimonium cum nulla contraxit: quare illi frater ſecundogenitus Jacobus (de quo numero ſubſequenti agimus) ſucceſsit in Dynaſtæ titulo, & juribus, quæ alienari non poterant; reliqua enim bona ferè omnia ab eo fuerunt dilapidata.

## XXIX.

TErtius Dynaſta de LINDORS Jacobus quaternis vicibus conjugium iteravit: primùm auſpicatus eſt cum N. ORMESTONE filia Baronis de ORMESTONE ſine prole, ſecundum celebravit cum N. GRAY filia Dynaſtæ de GRAY, & matre ex illo Joannis hæredis: Tertium cum N. YORK Angla; quartum cum alia Angla, quæ illi genuit filium N. & filiam N. primò Joanni STUART Domino de ENNERNERTY, dein N. BRUCE Domino de BLAIRHALL in matrimonium collocatam.

## XXX.

QUartus Dynaſta de LINDORS Joannes connubio junctus eſt cum Mariora OGILBY, filia Comitis de EARLIE, priùs nuptâ Dynaſtæ de COUPER; ex hac procreavit filium nomine Joannem, cum pluribus aliis liberis, quorum tamen nomina, & acta ad nos non pervenerunt: Cæterùm hic Dynaſta per amplam uxoris dotem patrimonium in paulò meliorem ſtatum reduxit.

## XXXI.

LUdovicus Colonellus, quartogenitus Patritij, filij Dynaſtæ de LINDORS uxorem non duxit, caſtra primò ſecutus eſt in Germania, deinde in Anglia; relictâ utrobiquè inſigni commendatione fortitudinis, & peritiæ militaris, cujus tamen particularia ſpecimina ad noſtram notitiam non pervenerunt.

## XXXII.

PRimus Dynaſta de NEWWARKE David, ab eodem Patritio ultimo loco genitus nuptias celebravit cum Joanna YORK, filia Joannis Equitis Aurati Angli, ex qua genuit Davidem natu maximum, Carolum, Jacobum, & quatuor filias, Joannam, Eliſabetham, Mariam, & Margaritam. Poſtquam diu in Germania multa cum laude militâſſet, in Patriam redux, factus eſt Locumtenens Generalis Equitum: Infauſto conflictu Worceſtriæ commiſſo aliquamdiu in cuſtodia ab Anglis detentus, poſt reditum Caroli ſecundi Regis, ab eodem Dynaſta de NEWWARKE creatus, & honorificentiſſimis litteris donatus eſt: plura de illo vide apud modernos rerum Scoticarum Scriptores.

XXXIII.

XXXIII.

SEcundus Dynaſta de NEWWARKE David, ejus nominis ſecundus uxorē habet Eliſabetham STEUART filiam Baronis de GARNTILLIE; ex quâ ſuſcepit filiam, nomine Joannam: an & alij eidem fuerint liberi, hactenus non innotuit: deſiderantur enim hîc plura alia etiam ad familias præſertim meridionales ſpectantia, tam quoad perſonas, quàm quoad geſta; de quibus ob temporum viciſſitudines ampliorem informationem acquirere non potueramus.

## Barones de Newtoune
## LESLIE.

XXXIV.

PRimus Baro de NEWTOUNE Joannes, filius Andreæ quinti Comitis de ROTHES ex tertia uxore, (ut memoravimus num. 23.) â Rege Jacobo ſexto Eques Auratus & Senator ſupremæ curiæ (*Lord of The Seſsione*) creatus, accepit in conjugem Eliſabetham GRAY, filiam Dynaſtæ de GRAY, ex qua nati ſunt ei cum ternis filiabus quatuor filij, Joannes videlicet; Andreas, qui thori conſortem delegit N. BALFOURE filiam Domini de GRANGE; Jacobus Dominus de LUMWHAT, qui matrimonium contraxit cum N. DICK, filia Domini de GRANGE; & Alexander Dominus de BUCHRAM, qui nuptias inivit cum N. MACKDONALD filia Baronis de GLENGARIE: Filiarum natu major nupſit N. GRANT Baroni de BALLANDALOCH; altera N. KIRCALDIE Baroni de GRANGE; poſtrema Andreæ DICK Equiti Aurato.

XXXV.

## XXXV.

SEcundus Baro de NEWTOUNE Joannes ejus nominis ſecundus, Eques Auratus factus, fidem conjugalem addixit N. HAY, filiæ Domini de NACHTOUNE; quæ ei peperit præter Joannem, filias quatuor; Eliſabetham nuptam N. DICK Domino de GRANGE, Mariam Laurentio AITON Domino de DRUMCAIRNE, Claram item, & Helenam innuptam.

## XXXVI.

TErtius Baro de NEWTOUNE Joannes ejus nominis Tertius connubio junctus Joannæ MELVIN, filiæ Domini de MORTCARNIE, & paulò poſt nullo Succeſſore relicto morte abreptus eſt: quis proindè in Baronatu de NEWTOUNE Joanni huic ſucceſſerit; ignoramus.

# Domini de Finraſsie, & Burdsbank LESLIE.

## XXXVII.

PRimus Dominus de FINRASSIE Robertus, tertiogenitus Georgij Comitis quinti de ROTHES, ut videre eſt num. 22. vulgò cognominatus Legitimus ROTHES (*the Righteous Rothes*) utpote natu major Andreâ, qui ob cauſam ſuperiùs num. 23. allatam in Comitatu ſucceſsit, conjugio ſibi ſociavit Joannam ELPHINSTONE filiam Dynaſtæ de ELPHINSTONE, quæ ei peperit prolem maſculam ternam, & filias binas, Robertum nempe, Georgium; cujus mentio fit num. 41. & Joannem, qui thori conſortem habuit N. COCKBURNE; & ex ea filium Jacobum, qui accepit in conjugem

jugem Saram AFFLECK, matrem ex eo Roberti de TARRIE mariti N. ANDERSONE, quæ ei genuit Jacobum, cujus uxor Anonyma RAMSAY filia Baronis de BOMAIN unicam ei filiam reliquit. Filias Roberti quod attinet; natu maxima Joanna maritata fuit N. DURRHAME Domino de GRANGE in Anguſia; ſecundogenita Agnes in conſortem ceſſit N. MELDRUM Domino de SEGGIE in Fifa: Robertus hic paterna præter Dominia alias itidem poſſeſsiones, de GUGLIE nempe, ETHRIE, & ROSMACKIE ſibi adjecit.

## XXXVIII.

SEcundus Dominus de FINRASSIE, & ipſe Robertus dictus matrimonium contraxit cum Margarita DUMBAR filia Alexandri Baronis de GRANGE, ſupremæ curiæ Senatoris; ex qua ſuſcepit tres Mares, & totidem fœminas. Primogenitus erat Robertus, ſecundogenitus Joannes de MILLTOUNE, qui duxit Eliſabetham NARNE, filiam Thomæ Domini de CROMDELL, & ex eâ progenuit ternam ſobolem maſculam, Joannem, Georgium, & Walterum; filias itidem ternas, Margaritam ſcilicet nuptui traditam Patritio GRANT de DELAY, alteram Roberto GRANT de DELMORE, ultimam Alexandro BARCLAY de TILLYNACHT: Tertiogenitus Roberti filius Georgius de RAYFLEET conjugio ſibi ſociavit Ægidiam DUMBAR filiam Alexandri de BOYTH, ex quâ natus eſt ei Alexander filius, & filiæ quinque. Filias Roberti quod concernit, natu majorem Margaritam Joanni GORDONE Equiti Aurato de EMBO, minorem Catharinam Jacobo DOUGLAS Domino de PENDREICH, minimam Jacobo CUTHBERT Domino de DRAYCKES ille in conjugem dedit.

## XXXIX.

TErtius Dominus de FINRASSIE Robertus, contracto matrimonio cum Iſabella FORBES filia Domini de BLACKTOUNE, ex ea tres mares, & filias ſex procreavit. Primogenitus Joannes, (qui adhuc cælebs ê vivis exceſſit) alter Georgius, ultimo loco natus Abrahamus nominabatur: Filiarum prima, Joanna maritum nacta eſt Walterum Innes Dominum de INNERBRACHIE; ſecunda, Iſabella Robertum DUMBAR de BURGIE; tertia, N. Robertum GORDON de EMBO Equitem Auratum; quarta, Catharina Jacobum ANDERSONE de WESTERTOUNE; quinta, Helena Hugonem MONROE primogenitum Georgij, Equitis Aurati; poſtrema, Barbara Patritium DUMBAR de SYDRAY in maritum accepit.

## XL.

QUartus Dominus de FINRASSIE Georgius thori conſortem habuit Mariam BANNERMAN filiam Baronis de ELSIK, ſed nullum ex illâ hæredem reliquit: ad quem poſt ejus obitum Dominium de FINRASSIE fuerit devolutum; compertum non habemus.

## XLI.

PRimus Dominus de BURDSBANK Georgius ſecundogenitus Roberti primi de FINRASSIE, (ut paulò ante jam retulimus num. 37.) nuptias contraxit cum Margarita STERLING filia Domini de CRAIGBARNID, ex qua ei natus eſt Guilielmus cum filiabus binis, quarum priorem Walterus HACKET Dominus de MAYEN, poſteriorem N. Grant Dominus de DALUEY uxorem habuit.

XLII.

SEcundus Dominus de BURDSBANK Guilielmus matrimonium inivit cum Helena MONROE filia Georgij de MILTONE; & ex illa procreavit duos liberos, Georgium Hæredem nempe, & filiam unicam, quæ poſtmodum Guilielmo STEENSON nuptui tradita eſt.

XLIII.

TErtius Dominus de BURDSBANK Georgius conjugem accepit Chriſtinam BAIRD filiam Jacobi Equitis Aurati, & Baronis de ACHMEDEN: Eſt adhuc ſuperſtes; quosnam tamen hactenus procreaverit liberos, nullatenus nobis innotuit.

## Majores Colonelli in Moſcovia JACOBI LESLIE.

XLIV.

PRimus Dominus de AIKENWAY Georgius filius Georgij primi Comitis de ROTHES, ut dictum eſt num. 19. connubium inivit cum N. GRANT filia DUNCANI Equitis Aurati de MUTHLACKAR, quæ ex ipſo mater facta eſt trium filiorum, Guilielmi ſcilicet, Joannis, & Walteri: Guilielmus, ut num. ſequenti videre eſt, ſucceſſit parenti; Joannes celebrato cum Margarita LESLIE Baraki filiâ matrimonio, ex ea reliquit quinque filios, quorum natu maximus Lancellotus ſibi Iſabellam OGILBY filiam Alexandri de MILTONE deſponſavit; ex qua progeniti Joannes, qui conjugem habuit Agnetem VONFREY, & Margarita Roberto INNES de NEURAINE nuptui tradita. Tertius, Normandus matrimo-

monium inivit primum cum N. N. Vidua; ſecundum cum Mariora ANDERSONE. Quartus Jacobus, cujus uxor fuiſſe fertur N. UMFRAY, ex qua procreavit Joannem, Lancellotum, & plures filias. Ultimus Joannis filius Guilielmus poſt obitum primæ Conjugis N. LESLIE filiæ Thomæ de DRUDMACARIE ad ſecundum connubium progreſſus eſt cum N. LESLIE filia Joannis de GALDWALL. Walterus, quem eodem hoc num. poſtremum Georgij filium fuiſſe memoravimus, ex ſua Conjuge N. DUMBAR plures utriusque Sexûs proles poſt ſe reliquit.

## XLV.

SEcundus Dominus de AIKENWAY Guilielmus junctus eſt primo matrimonio cum N. WEINTON filia, & hærede Domini de COLLARACHY; ex ea ſuſcepit cum Georgio Succeſſore duas filias, quarũ prima nupta eſt Jacobo HAY, poſterior primum thori conſortem Robertum INNES filium Domini de DRANIE, ſecundum verò Joannem HAY nacta erat; alteras nuptias Guilielmus celebravit cum Margarita DUMBAR ſorore Vice-Comitis Provinciæ Moravienſis, & ex ea ſex filios, & tres filias procreavit; primogenitus Guilielmus in Conjugem accepit Catharinam INNES filiam Joannis Domini de ACHLUNCAIT, ſecundo loco genitus Alexander primam uxorem duxit Beatricem LESLIE, quæ ei tres filios, Joannem, Georgium, & Alexandrum, totidemq; filias, Agnetem, Iſabellam, & Catharinam progenuit; defunctâ verò Beatrice alterum matrimonium Alexander contraxit cum Joanna HARUEY filia Domini de ELRICK: Tertiogenitus Guilielmi, Walterus primus Dominus de ARCANIE conſortem thori habuit N. INNES alteram filiam memorati Joannis de ACHLUNCART: Quarti, Roberti itidem de ARCANIE memores erimus num. 47. Quintus Guilielmi filius Normandus Capitaneus extra Patri-

Patriam occubuit. Poſtremus denique Adamus connubium inivit cum Mariana CUMMEN filia Alexandri de ERNSYDE: Filiarum Guilielmi ſortem, quod concernit, natu maxima Eliſabetha nuptui data eſt Alexandro DOUGLAS Præfecto Elgenenſi; media Agnes Jacobo CUMMEN; minima Mariora Duncano GRANT de ELCHIS.

XLVI.

TErtius Dominus de AIKENWAY Georgius ductâ in conſortem N. DEMPSTER filiâ Baronis de MURESK, ex ea ſuſcepit filium unicum Guilielmum adhuc ante patris obitum ê vivis ereptum, filiam itidem unam, Agnetem dictam, & Roberto LESLIE de RUDDRIE nuptui datam.

XLVII.

RObertus ſecundus Dominus de ARCANIE quartogenitus Guilielmi ſecundi de AIKENWAY, (ut jam diximus num. 45.) connubium iniit cum N. ANDERSONE, quæ ei cum ſenis filiis unicam filiam mundo dedit. Primus filiorum erat Joannes quartus de AIKENWAY, de quo num. ſequenti: alter Guilielmus, qui adhuc cælebs diem obiit; tertius Walterus Dominus de ARCANIE, qui ex uxore N. MUNROE filia Domini de MILTONE habuit Robertum quartum de ARCANIE maritum N. MACKENTOSCH filiæ Domini de KELLACHY: quartus vocabatur Patritius, quintus Robertus, poſtremus Georgius. Filia Iſabella Jacobo GUTHRIE in conjugem eſt collocata.

XLVIII.

QUartus Dominus de AIKENWAY Joannes primogenitus Roberti ſecundi de ARCANIE poſt obitum primæ uxoris Eliſabethæ OGILBY filiæ Domini de MILTONE in KEITH connubium

repetiit cum N. BRODDIE, ex neutra relictâ prole: hic per reſignationem â Georgio tertio Patruo ſuo acceperat dominium de AIKENWAY.

## XLIX.

IAcobus cognomento Rex amoris, (*King of loue*) in Moſcovia, ubi diu caſtra fuit ſecutus, & plura vulnera gloriosè retulerat, factus Colonellus, ex eadem hac familia de AIKENWAY deſcendere perhibetur; quinam tamen fuerint illius parentes; uti & Guilielmi viri docti & Præſidis Collegij veteris urbis Aberdonenſis ex eadem hac familia oriundi, monumenta non recenſent.

# Domini de Pitnamon LESLIE.

## L.

PRimus Dominus de PITNAMON Joannes, Georgij tertij Baronis de ROTHES ſecundogenitus, ut ſupra retulimus num. 18. ex Mariora AIRDES filia Baronis de AIRDES legitimo thoro ſibi adjuncta ſuſcepit Georgium, & Chriſtinam, poſtmodùm uxorem Joannis CHALMER Domini de BABITHANE.

## LI.

SEcundus Dominus de PITNAMON Georgius conjugem habuit Joannam RAITT filiam Domini de MUNAMIE, & ex ea quatuor filios, & tres filias; primogenitus fuerat Georgius, ſecundus Alexander Baro de LESLIE, de quo egimus ſuperiùs num. 12. de aliis nihil conſtat.

LII.

TErtius Dominus de PITNAMON Georgius accepit in uxorem N. WISHART filiam Baronis de PITARRO, ex qua cum unicam ſuſcepiſſet filiam, dominium de PITNAMON unitum eſt Baronatui de LESLIE, cujus hæredem Alexander hujus Georgij Patruus in conſortem duxerat, ut eodem num. 12. eſt annotatum.

# Barones de Balquhane S.R.I. Comites *DE* LESLIE.

LIII.

PRimus Baro de BALQUHANE Georgius Andreæ ſexti Dynaſtæ de LESLIE (ut num. 6. notatum) ſecundogenitus, Eques Auratus, & parens Hemelini ex Eliſabetha KEITH, filia Baronis de INNERUGIE, ac uxore ſua, ê vivis diſceſſit anno â partâ ſalute 1351. poſtquam undecim ante annos â Rege Davide Bruſeo obtinuiſſet dominia de BALQUHANE, SYDE, BRAKOE KNOCKINGLEUS, & alia in Gariotha, ubi eam ad potentiã hæc familia cum ſuis deſcendentibus excrevit, ut Regionem hanc in litteris non niſi ſuam indigitaret: Authores, dum ejus recurſat memoria, hoſce Barones viros potentes, ac inter ſuos facilè primos compellant; plerique horum olim creati fuerunt Equites Aurati, qui honor etiam Dynaſtis ac Comitibus tunc conferebatur, plures ex ijs Provinciæ Aberdonenſis Vice-Comitum fungebantur munere, quod primis plerumque Regni Proceribus conceditur. Non exiguum quoque, & ſingulare prorſus familiæ hujus decus, & ornamentum eſt, quod eodem nuper tempore tribus diverſis in Regnis tres ſupremos Generales

rales BALQUHANO-LESLÆANÆ proſapiæ recenſuerit; quorum primus Walterus S.R.I. Comes de LESLIE in Germania, alter Alexander Comes de LEVIN in Scotia, tertius Alexander Eques Auratus de ACHINTOUL in Moſcovia copiis præfuit, præter plures Colonellos, & alios Officiales inferiores: conſueverat hæc familia (quæ fibulas in faſcia more Dynaſtarum de LESLIE præfert) jam olim ſua inſignia ſuppoſitis gryphibus ſuccollare, quod antiquorum tantummodò Baronum privilegium eſt; undè meritò ob hæc, & alia quamplurima; Religionem ſcilicet, antiquitatem, affinitates, geſta munia, opes, deſcendentium numerum, & qualitatem, &c. vix ullâ familiarum ſuo in ordine inferior poſſit videri, ut ex dicendis clariùs patebit.

## LIV.

SEcundus Baro de BALQUHANE Hemelinus Eques Auratus conjugem habuit N. MAXUELL filiam Dynaſtæ MAXUELL de CARLEUROCK, cujus poſteri ſunt Comites de NITHSDALE, ex ea ſuſcepit Andream, & filiam unicam nuptui datam Domino de BALDATHSCHE: è vivis ubi exceſſit, unacum patre ſuo ſepultus eſt in Eccleſia de LOGGYDURNO.

## LV.

TErtius Baro de BALQUHANE Andreas, & ipſe ex Equitum Auratorum numero connubium init cum Iſabella MORTINER filia Bernardi Baronis de CRAGYVAR, quæ ei reliquit Guilielmum, & quatuor filias; quarum prima Alexandro Baroni de LESLIE, altera N. GLASTER Domino de GLACK, tertia Anonymo N. MONROE Baroni de FOULS, poſtrema Raynoldo CHEYRE in matrimonium eſt collocata: Ad eundem Andream originem ſuam refert Jacobus de BUCHANSTONE

STONE per continuatam majorum ſeriem, quam ut hic in-
ſeramus; præ manibus non habemus: Diu habitavit An-
dreas hic in præalto monte de BENNACHIE, cujus cacumen
lapidum aggeribus munivit, ut ex ruderibus etiamnum ex-
ſtantibus apparet: Cauſam huic receſſui præbuêre diſſidia
exorta inter illum, & Joannem FORBES Equitem Auratum,
& Baronem de DRUMMINNOR, cujus ſucceſſor eſt Dynaſta
de FORBES, Proſapiæ Forbeſianæ numeroſæ, & opulentæ
Princeps: Eo tempore, quo rupem illam incolebat, magno
ſemel cum comitatu profectus eſt in STRADAUNE, & inde
inter alias prædas abſtulit filiam Baronis de INNERVIN pul-
chram puellam de STRADAUNE cognominatam, ex qua ſu-
ſcepit Malcolmum, de quo infra num. 130. Hinc orta vi-
detur fabula apud vulgus decantata de Gygante quodam
hujus montis incola, & puella converſa in lapidem, qui
etiamnum videtur dictus ſcoticè *MAIDENSTEENE.* Complu-
res alij nati ſunt ei liberi, ex quibus undecim filij in pugna
apud HARLAU (ubi parens ex primis Marriæ Comitis, Regis
ex fratre Pronepotis Ducibus habebatur) occubuêre illac
loci, qui ex erecta inibi cruce nuncupatus eſt LESLIES-
CROSSE: hos filios ſuos, & ipſe novem poſt annos ſecu-
tus eſt, ubi â Vice-Comite Provinciæ Anguſiæ 22. Januarij
1420. apud BRAKOE eſt interfectus. Domina Iſabella ejus
uxor eodem loci erexit capellam, in qua cadaver ejus de-
poſitum eſt; aliud itidem poſt ejus obitum beneficium fun-
datum eſt, vi cujus in capella dicta de GARIOCH Sacerdos
aliquis pro ejus anima DEO in perpetuum litaret.

## LVI.

QUartus Baro de BALQUHANE Guilielmus tres
thori conſortes numeravit, quarum prima
Eliſabetha FRASER filia Dynaſtæ de LOVAT
ei genuit Alexandrum hæredem, Guilielmum

primum Dominum de KINCRAGIE (de quo vide num. 74.) & unicam filiam, Guldæam nomine N. BARCLAY Baroni de GARTLAY nuptui traditam: Secunda uxor Agnes IRVIN filia Baronis de DRUM ei peperit alterum Alexandrum primum Baronem de WARDES, (ut memorabitur num. 82.) Georgium primum Dominum de NEWLESLIE, (de quo inferiùs num. 97.) & Thomam Eccleſiaſticum, ac quinque filias, quarum primogenita juncta eſt matrimonio cum Anonymo N. LEITH, Domino de BARNES, altera primas nuptias cum N. STUART de LATHERIS, ſecundas cum Domino de BALQUHOLLIE contraxit, tertia nupſit N. CULLEN, quarta Domino de STRALOCH, poſtrema Domino de ACHTERALLEN: Tertia Andreæ conjux Euphemia LINDSAY filia Domini de CARNIE fratris Comitis de CRAUFORD illi progenuit Davidem, & Jacobum primos Barones de PITCAPLE, (ut referemus num. 115. & 116.) & ſex filias, quarum natu major conſors data eſt Alexandro MENZIES Præfecto Aberdonenſi, ſecundogenita Margarita Georgio FORBES Domino de ACHINTOUL, tertia Duncano DAVIDSONE Domino de ACHINLAMPERS, quarta Alexandro MARR, quintogenita Magdalena manſit innupta, poſtrema cum Thoma GUTHRAY de KINBLAITHMOND conjugium iniit. Natus eſt ei etiam ex quadam alia fœmina Nobili Patritius, de quo agemus num. 125. Cæterùm fuit Guilielmus eximiæ prudentiæ, & fortitudinis, ac inter primarios Duces Alexandri primi Comitis de HUNTLY in prælio ad BRECHEN 18. Maij 1452. commiſſo, à quo ob præclarè geſta Dominium de KINCRAGIE in Marria, & de ABACHIE in STRATHBOGGIE in præmium accepit: Equitibus Auratis in coronatione Jacobi primi adlectus eſt. Splendidam duxit vitam, & eâ tandem functus eſt 18. Aprilis 1467. Filij ejus originem dederunt pluribus familiis illuſtribus, ut ex arbore patet, & ex dicendis clariùs patebit.

LVII.

## LVII.

QUintus Baro de BALQUHANE Alexander accepit in primam conjugem N. GORDON filiam Domini de CARNBORROU, cujus ſucceſſor eſt Baro de ROTHEMAY, ex ea præter Patritium ſuum hæredem ſuſcepit N. qui in Galliis obiit, & duas filias, quarum una nupſit Davidi Roſs de TOLINASKE; de altera nulla fit mentio. In ſecundam uxorem duxit N. CUMMEN filiam Baronis de COULTER, quæ ei peperit tres tantùm fœminas, ê quibus natu major nuptias contraxit cum Joanne RUDDERFORD Equite Aurato, ſecunda cum Davide ANDERSONE, poſtrema cum N. STUART. Alexander ê vivis diſceſſit 10. Aprilis 1472.

## LVIII.

SEcundus Baro de BALQUHANE Patritius ex conſorte Murialda GRANT Donaldi Baronis de FRUCHIE, ſive de GRANT inter montanos perquam potentis filia unicum tantùm procreavit filium, Guilielmum videlicet ſucceſſorem: vixit cum ſplendore, & tandem vivere deſiit 16. Aprilis 1496.

## LIX.

SEptimus Baro de BALQUHANE Guilielmus ejus nominis ſecundus, Eques Auratus in primam conjugem ſibi adſcivit Eliſabetham OGILBY filiam Baronis de BOYNE, quæ ei genuit ternam prolem maſculam, Joannem ſcilicet hæredem, Patritium, & Jacobum, (qui duo poſtremi extincti ſunt ſine liberis;) quinas itidem filias, quarum prima Joanni PONTONE Domino de PITMEDDEN, ſecunda Joanna Patritio LIETH Domino de LICKLYHEAD, tertia Margarita Domino de ACHIN-

TOUL,

TOUL, quarta Agnes Joanni STRACHANE, ultima Eliſabetha Jacobo DUMBAR matrimonio ſunt collocatæ: Defunctâ Ogilbæâ ad ſecundas nuptias tranſivit Guilielmus cum Mariora KEITH filia Baronis de INNERUGGIE, & tandem ad poſtremas cum Margarita FORBES filia Baronis de TOCHON, ex quarum neutra prolem ſuſcepit. Guilielmi hujus tempore plurimæ Leslæos inter & Forbeſios cædes patratæ ſunt, & tota Aberdonenſis Provincia duas ſciſſa in factiones majora indies metuebat funera, uſque dum per Comitem Anguſiæ, aliosque ex conſilio intimo pax firma confecta eſt, ut Leslæus fuſiùs recenſet: adjecit ditionibus ſuis Guilielmus hic agros de WHYTECROSSE, ENNERAMSAY, PITTBIE, & NEULANDS, ac poſt reædificatam arcem de BALQUHANE antea â Forbeſiis combuſtam in provecta jam ætate Anno partæ ſalutis 1545. vitam cum morte commutavit.

## LX.

OCtavus Baro de BALQUHANE Joannes matrimonio inito cum Eliſabetha LESLIE filia Patritij de ARDON, ex ea binam prolem maſculam, ternas itidem filias habuit; marium primogenitus Joannes uxorem duxit N. WOOD filiam Guilielmi Baronis de BONNYTONE, ex qua procreavit duas ſolùm filias, quarum prima nupta eſt Patritio LESLIE Domino de KINCRAGIE, altera Mariora Alexandro BISSET; ipſe autem Joannes junior decidens ex tecto domûs civicæ Aberdonenſis extinctus eſt ante Patrem, cui proinde Guilielmus natu minor ſucceſſit, cujus filia primogenita Joanna N. DUGAT Domino de ACHINHIVE, ſecunda Jacobo HARVEY de BOYNDIS, poſtrema Barbara in conſortem eſt tradita Guilielmo CONNE Domino de ACHRAY, qui ex illa inter alios ſuſcepit celebrem illum Georgium CONNÆUM Romanæ purpuræ ab Urbano VIII. felicis memoriæ deſtinatum: Hic Joannes

nes Eques,&ipſe Auratus,ac Vice-Comes Provinciæ Aberdonenſis, vir prudens & ſtrenuus poſt adeptos multos fundos feudatarios Abbatiæ de Lindors,& Epiſcopatûs Aberdonenſis variis morbis affligebatur, quorum curandorum ergo dum Gallias petiiſſet, mortem, quam in Patria fugerat, ibidem invenit 1. Februarij 1561.

## LXI.

NOnus Baro de Balquhane Guilielmus ejus nominis tertius duxit in primam conjugem Joannam Forbes filiam Joannis Dynaſtæ de Forbes priore matrimonio Comiti de Athall junctam, & ex eâ cum filiis ternis binas filias progenuit; illorum primogenitus Joannes fuit Patris ſucceſſor, alter Guilielmus Londini in aulâ Jacobi Sexti vivere deſiit: tertius Arthurus in Dona prope Feternier ſiniſtro caſu aquis ſubmerſus eſt. Filiarum natu maxima Joanna nupſit Jacobo Dempster Baroni de Muresk, eique ultimo loco peperit Thomam illum, qui à libris conſcriptis magnam famam acquiſivit: Secundogenita Margarita Alexandro Abercrombie Baroni de Pirckenbogg in conſortem eſt data. Poſt Forbeſiæ obitum Guilielmus ſecundo matrimonio junctus eſt cum Margarita Colless filia Baronis de Bonymoon, ex qua præter Andream demortuum extra Regnum, & Gilbertum in quodam diſſidio ad Muresk interfectum duas ſuſcepit filias, Eliſabetham ſcilicet & Chriſtinam. Fuit ipſe pariter ex Auratorum Equitum albo, & Provinciæ Aberdonenſis Vice-Comes, cujus Epiſcopum ſuâ potentiâ, & armis in ſede Epiſcopali diu ſervavit, poſtquam alij per Regnum Epiſcopi ſuis ſedibus fuiſſent exturbati, unde in ſignum gratitudinis Baronatum de Feternier, & alias poſſeſſiones in feudum ab Epiſcopo accepit, ut teſtantur inſtrumenta publica adhuc exſtantia; demùm poſt accep-

tam hoſpitio Reginam Mariam, & conciliatam pacem inter Comites de HUNTLY, & ATHOLL ab aliis ſæpiùs fruſtra tentatam mortuus eſt 5. Auguſti 1569.

## LXII.

DEcimus Baro de BALQUHANE Joannes ejus nominis ſecundus primam thori conſortem habuit Eliſabetham GRANT filiam Baronis de GRANT, & matrem Joannis hæredis, ſecundam Eliſabetham HAY filiam Georgij Comitis de ERROLL, quæ ei peperit Iſabellam nuptam Alexandro HAY Equiti Aurato, & Baroni de DELGATIE, tertiam Joannam ERSKINE filiam Baronis de GOGAR ſecundogeniti Joannis Comitis Marriæ, & ſororem Thomæ primi Comitis de KELLIE Periſcelidis Equitis, quæ ei genuit cum filiabus binis filios tres, Guilielmum ſcilicet, Alexandrum, & Walterum, de quibus num. *65. 66. & 73.* agemus. Filiarum prima Joanna maritum habuit Patritium LESLIE Equitem Auratum, & Præfectum Aberdonenſem, altera Eliſabetha primò nupſit Gilberto HAY fratri Baronis de DELGATIE, & poſt eum Guilielmo GRANT de CONGLASSE, cui genuit Guilielmum nunc Dominum de CRICHIE, virum pluribus titulis eximium: Fuit hic Joannes Provinciæ Aberdonenſis Vice-Comes, tantaque cum magnificentia vixit, ut non niſi viginti equitibus ſtipatus incedere ſoleret: Obiit in Julio 1622.

## LXIII.

VNdecimus Baro de BALQUHANE Joannes ejus nominis Tertius, primas nuptias contraxit cum N. GORDON vidua Domini de ACHINIVE, quâ ſine prole defuncta copulatus eſt cum Joanna INNES filia Domini de ACHINTOUL, & ex ea procreavit Joannem ſucceſſorem, & Joannam Jacobo ELPHINSTON

Do-

Domino de GLACK nuptui traditam: Natus eſt ei ex alia Franciſcus ſtrenuus Capitaneus in Germania occiſus: Ipſe autem Joannes ê vivis exceſſit circa annum â partu Virginis 1638.

## LXIV.

DUodecimus Baro de BALQUHANE Joannes ejus nominis quartus ductâ in uxorem N. CRAUFORD filiâ Colonelli CRAUFORD in Moſcovia, ex ea duas tantummodò ſuſcepit filias lue contagioſâ ſimul cum matre extinctas. Ipſe vir elegantis corporis, & magni animi relictâ patriâ bellis civilibus ardente in Moſcoviam profectus eſt, ibique factus Colonellus; Moſcis verò Poloniam invadentibus, dum arcem quandam dictam IGOLNITS aggrederetur, interfectus eſt ultimâ Auguſti 1655.

## LXV.

DEcimus tertius Baro de BALQUHANE Guilielmus ejus nominis quartus, & frater Joannis tertij conjugium inivit cum Mariora BERNARD Angla, ex qua habuit quinque mares, & totidem fœminas, qui omnes adhuc minorennes extincti ſunt præter Mariam Eliæ LICHTONE Equiti Aurato, ac Colonello in conſortem conceſſam. Hic Guilielmus diu vixerat in Aula Caroli primi, ejusque caſtris, unde multa glorioſa retulerat vulnera ſemper Regi ſuo fideliſſimus; quo â rebellibus ſuis nefariè occiſo in Hollandiam profugit, & ibidem ſenectute confectus vivere deſiit anno Chriſti 1671. Dignum hic memoratu eſt ex omnibus Baronibus de BALQUHANE non niſi hunc, & anteceſſorem, qui ſoli in Proteſtantium ſecta diem obierunt, nullam prolem maſculam reliquiſſe, quod & aliis Scotiæ familiis contigit.

LXVI.

## LXVI.

DEcimus quartus Baro de BALQUHANE Alexander ejus nominis ſecundus tertiogenitus Joannis ſecundi in conjugem adſcivit Joannam ELPHINSTONE filiam Jacobi Domini de GLACK, cujus Majores originem trahentes ex Dynaſtis de ELPHINSTONE, & ſpecialiter â fratre celeberrimi illius Epiſcopi Aberdonenſis Guilielmi ELPHINSTONII Inclitæ ibidem Academiæ Fundatoris dominium iſtud â ducentis, & ampliùs annis poſsident: peperit ei hæc Joanna (præter filias ternas, & filium Joannem adhuc minorennes extinctos) quatuor mares, quorum primogenitus Jacobus movit in Germaniam, (de quo num. ſequenti) alter Patritius ſucceſsit Parenti, (ut num. 68. dicetur) tertiogenitus Guilielmus Aloyſius relicto canonicatu Wratislavienſi Romæ Societatem JESU ingreſſus, ibidem poſtea fuit Collegij Scotorum Rector: de Alexandro poſtremogenito mentionem faciemus num. 71. Alexander hic decimusquartus Baro vir optimi conſilij, & notæ in omnes urbanitatis recuperavit multa dominia, & nova acquiſivit: in gratiam Comitis Walteri fratris ſui ab Auguſtiſsimo Romanorum Imperatore S. R. I. Comes de LESLIE cum tota ſua poſteritate creatus, mortuus demum eſt ferè octogenarius 5. Martij 1677.

## LXVII.

JAcobus S.R.I. Comes de LESLIE primogenitus Alexandri decimiquarti Baronis de BALQUHANE conſortem thori nactus eſt Mariam Thereſiam natam Principem de LIECHTENSTEIN filiam Caroli Principis de LIECHTENSTEIN Ducis de TROPPAU: Adoleſcens â Comite Waltero Patruo in Germaniam vocatus eidem ſucceſsit, & ab infimo militiæ gradu ad ſupremum uſque Mareſchalli campi generalatum aſcendit, multa-

multaque, & magna præſtitit ultimo præſertim biennio, quo caſtra ſequi licuit, nam & Viennam Auſtriæ â Turcis obſeſſam introducto opportunè peditatu munivit, allatoque tempeſtivè ſuccurſu inter primos liberavit, Virovitizam hoſte cæſo expugnavit, ac Pontes Eſſeckinos cum Civitate combuſſit, longè majora præſtiturus, niſi podagrâ, aliisque morbis jam dudum lecto affixus invictâ patientiâ jaceret: pluribus itidem perfunctus legationibus, intimis ſuæ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliariis adlectus, & conſilij bellici interioris Auſtriæ Præſes declaratus eſt. Præter majoratum â Patruo relictum, & â ſe auctum, qui (cum prole careat) ad Nepotem Jacobum Erneſtum Patritij fratris primogenitum devolvetur aliud fidecommiſſum inſtituit ex dominio de PERNEGG â ſe coëmpto, quod tranſibit ad alium nepotem Franciſcum Jacobum Alexandri fratris natu minoris filium cum jure mutuæ ſucceſſionis in dicto majoratu, & Baronatu de BALQUHANE ad Georgium ſecundogenitum Patritij deventuro. Xenodochium inſuper in dominio ſuo Neoſtadienſi pro infirmis militibus, & ſubditis fundavit, alendis itidem Nobilibus Adoleſcentibus Scotis LESLÆANI præſertim cognominis cenſum annuum ſtabilivit.

## LXVIII.

DEcimus quintus Baro de BALQUHANE Patritius ejus nominis ſecundus S. R. I. Comes de LESLIE, ſecundogenitus Alexandri decimiquarti, fratre Jacobo natu majore Comitis Walteri Patrui hæreditatem adepto ſucceſſit in Baronatu de BALQUHANE, & in primam conjugem duxit Eliſabetham DOUGLAS filiam Domini de BRIGFOORD patruelis primi Marchionis de DOUGLAS, ex qua cum quatuor filiabus filium unicum habet ſuperſtitem Jacobum Erneſtum, (de quo num. ſequenti,) altero filio Alexandro duodenni extincto; filiarum ejus



primo-

primogenita nupſit Alexandro LESLIE Baroni de PITCAPLE, ſecunda Anna Franciſca Joanni GRANT Baroni de BALLANDALLACH matrimonio eſt collocata, duæ natu minores Thereſa, & Eliſabetha necdum ſunt nuptæ. Secundis nuptiis junctus eſt cum Maria IRVIN filia Baronis de DRUM, & conſobrina Ducis de GORDON, ex qua habet Georgium, (de quo dicetur num. 70.) Mariam, Margaritam, Joannam, & Henriettam in tenera omnes ætate. Eſt hic Patritius â Sereniſsimo noſtro Rege, & Clementiſsimo Domino JACOBO VII. in Intimum Scotiæ conſilium adlectus, vir prudens, juſtus, & Fidei avitæ tenax, plures majorum poſſeſsiones olim alienatas denuò recepit, novisque adauxit.

## LXIX.

JAcobus Erneſtus S. R. I. Comes de LESLIE primogenitus Patritij decimiquinti Baronis de BALQUHANE ex Douglaſia, adoleſcens modò novemdecim annorum Comiti Jacobo Patruo in majoratu Germaniæ eſt ſucceſſurus, quò ab ipſo ante annos aliquot eſt evocatus.

## LXX.

GEorgius S. R. I. Comes de LESLIE ſecundogenitus ejusdem Patritij ex Irvina octavum nondum ingreſſus annum, ſuccedet Patri in Baronatu de BALQUHANE, & cæteris bonis in Scotia, ſi frater natu major, ut eſt vero ſimillimum, remanſerit in Germania.

## LXXI.

ALexander S. R. I. Comes de LESLIE quartogenitus Alexandri Decimiquarti Baronis de BALQUHANE ducta in conſortem Creſcentiâ Chriſtinâ

ſtinâ natâ Comitiſsâ âb HERBERSTEIN, filiâ unicâ, & hærede Georgij Guntheri Comitis de HERBERSTEIN, ex ea unicum reliquit filium Franciſcum Jacobum ejus ſub obitum non niſi trium hebdomadum infantem. Alexander hic inſigni ingenio præditus magnos fecit in litteris progreſſus, ſed â ſtudiis ad bellum abductus præclaris pariter initiis majoris gloriæ incrementis abundè prælusit: Aureâ Cæſaris clavi obtentâ legionis Monsfeldianæ Vice-Colonellus eſſe juſſus, eam tribuno abſente ſuprema cum poteſtate regebat, quando Viennâ â Turcis obſidione cinctâ, dum ſuos ad magna quæque animat, lethali vulnere accepto paulò poſt piè obiit 8. Auguſti 1683. & in veſtitu Societatis JESU, prout ipſe expetebat, in Capella LESLÆANA apud Benedictinos, dictos Scotenſes ſepultus eſt.

## LXXII.

FRanciſcus Jacobus S. R. I. Comes de LESLIE ſextum nunc agit annum, hæres futurus Dominij de PERNEGG, & aliorum bonorum, quæ â Parentibus illi obvenient: Patri ſuo Alexandro vultu eſt ſimillimus: faxit DEUS, ut etiam animi dotibus, non tamen morte immaturâ ei apprimè ſimilis evadat.

## LXXIII.

WAlterus S.R.I Comes de LESLIE quartogenitus Joannis Decimi Baronis de BALQUHANE ex tertia uxore, duxit in conjugem Annã Franciſcam natam Comitiſſam de DIETRICHSTEIN Maximiliani Principis de DIETRICHSTEIN Supremi Aulæ Cæſareæ Præfecti filiam, ex qua nullam prolem ſuſcepit. Juvenis ipſe in Germaniam ad bellum profectus ſupremi Vigiliarum Præfecti munus agebat, quando Ægræ ſub Annum 1634. auſu ſanè heroico notiſsimum illud induſtriæ, fortitudinis,

dinis, ac inſignis erga domum Auſtriacam fidelitatis argumentum edidit, quod fuſiùs recenſere ſuperſedemus, utpote tot jam libris decantatum, in cujus præclari facinoris præmium invictiſſimus Cæſar Ferdinandus Secundus præter alia Auſtriacæ munificentiæ indulta Colonelli dignitatem, ac præſidiariæ cohortis præfecturam illi ſtatuit: â Ferdinando dein Tertio glorioſæ memoriæ, cui unicè totius vitæ decurſu charus erat, S. R. I. Comitibus adlectus, Generalis campi Mareſchallus, Conſiliarius intimus, Supremus confinium Sclavoniæ, ac Petriniæ Præfectus fuit declaratus, tandèmque poſt varias legationes ad Summum Pontificem, & alios Principes confectas ab Auguſtiſſimo moderno Leopoldo primo Orator ſolemnis ad pacem cum Porta Ottomannicâ confirmandam nominatus: hanc legationem accepto priùs ex Hiſpania Aureo Vellere tanta cum pompa obivit, ut ipſe Turcarum Imperator nunquam â ſe viſam eſſe ſimilē aſſeruerit, prout fuſiùs videre eſt in libro ab ejus Confeſſario, & itineris Comite Patre Paulo TAFFERNER ê Societate JESU evulgato: domum feliciter reverſus paulò poſt in morbum incidit, quo Viennæ 4. Martij *1667.* ætatis *61.* extinctus in ſupradicta Capella Leslæana honorificè ſepultus eſt. Poſtquam antea Majoratum inſtituiſſet ex Dominio Neoſtadienſi in Bohemia, & Pettovienſi in Styria, hæredemque ex aſſe reliquiſſet ſuperiùs memoratum Jacobum Comitem de LESLIE ex fratre Alexandro nepotem.

## Domini de Kincragie
## LESLIE.
### LXXIV.

PRimus Dominus de KINCRAGIE Guilielmus ſecundogenitus Guilielmi quarti Baronis de BALQUHANE ex prima conjuge (ut vidimus nū. *56.*) duxit

duxit

duxit in uxorem N. Ross filiam Domini de ACHLOSSEN, ex qua unicus ei natus eſt filius, quem ſuo â nomine Guilielmum nuncupavit.

## LXXV.

SEcundus Dominus de KINCRAGIE Guilielmus ejus nominis ſecundus nuptias contraxit cum Eliſabetha STRACHANE, filia Roberti Domini de BAHOUSSE in Anguſia, & ex ea ſuſcepit Alexandrum hæredem, Patritium de LOCHTILLOCK, Jacobum, & filiam, quæ nupſit Anonymo LICHTONE.

## LXXVI.

TErtius Dominus de KINCRAGIE Alexander ex conſorte thori Margarita GORDON, filia Georgij Domini de HALLHEAD procreavit Georgium ſuum dein ſucceſſorem, & Joannem de DURNO, qui duas habuit conjuges, ex ſecundâ N. PATERSONE nullam prolem procreavit; ex prima verò Joanna GORDON filia Joannis de BRACKOE tres ei nati ſunt filij, Joannes in caſtris Batavicis extinctus, Jacobus in pugna apud INNERKITHEN occiſus, & Andreas primo matrimonio conjunctus Eliſabethæ LEITH filiæ Domini de NEWTONE in PREMNAY; altero verò Joannæ FORBES filiæ Domini de ABERSNITHICK.

## LXXVII.

QUartus Dominus de KINCRAGIE Georgius connubium iniit cum N. LEITH filia Patritij Domini de LICKLYHEAD, & ex ea genuit Patritium & Alexandrum N. LESLIE maritum, ac ternas filias; Iſabellam nempe Alexandro LESLIE filio Guilielmi de WARTHLE, Margaritam Alexandro ANDERSONE, & Eliſabetham Waltero MEARNES nuptui traditam.

## LXXVIII.

QUintus Dominus de KINCRAGIE Patritius cognomento pulcher (*Bonny Patrick*) ductâ in conſortem Joannâ LESLIE filiâ Joannis junioris Baronis de BALQUHANE, ex ea non niſi duos ſuſcepit filios, Georgium, & Joannem, qui ex uxore Mariora STRACHANE, Guilielmi de TIPPERTIE filia binam procreavit prolem maſculam, totidemque filias: Primogenitus ejus Patritius ſuſcepto ex N. FORBES Joanne, ſimul cum eo in Hyberniam profectus eſt; alter verò ejus filius Guilielmus in Americam conceſſit: Mariora filiarum prima Guilielmo LESLIE Guilielmi Baronis de WARDES ſecundogenito nuptui tradita eſt, altera filia Iſabella primo connubio Joanni FORBES Domino de TUCH, Secundo Guilielmo GUTHRIE fratri Baronis de GUTHRIE conjuncta eſt.

## LXXIX.

SExtus Dominus de KINCRAGIE Georgius ejus nominis ſecundus nuptias contraxit cum Magdalena WOOD, filia Baronis de BONNYTONE, ex qua nati ſunt ei quatuor filij, & filiæ binæ: Primogenitus Georgius parenti ſucceſſit, alter Jacobus elegit ſibi in conjugem N. IRVIN, & ex ea habuit tres filios, Georgium nempe, Joannem Maritum N. GRAY filiæ Domini de SCHIVES, & Jacobum de BYTH; tertius Georgij ſecundi de KINCRAGIE filius Guilielmus in conſortem elegit N. GORDON filiam Guilielmi de COTTON, fratris Alexandri Equitis Aurati, & Baronis de CLUNIE, quæ ei peperit duos mares, & totidem filias: Poſtremus ejuſdem Georgij filius Joannes matrimonio junctus eſt cum Mariora GORDON, filia Patritij de BRACKOE, ex qua progenuit Georgium, Jacobum, Alexandrum, Guilielmum, Joannam, & Iſabellam.

LXXX.

## LXXX.

SEptimus Dominus de KINCRAGIE Georgius ejus nominis tertius uxorem habuit Lucretiam ABERCROMBIE filiam Baronis de BIRCKENBOGG, & ex ea filios ſenos, filiasque quinas: filiorum nomina ſunt Patritius, Alexander, Jacobus, Joannes, Guilielmus, & Georgius; de filiabus nulla fit mentio.

## LXXXI.

OCtavus Dominus de KINCRAGIE Patritius ejus nominis ſecundus junctus eſt matrimonio cum Joanna FORBES, filia Guilielmi Domini de CORSENDAY, ex qua nati ſunt ei Georgius hæres, Joannes, Chriſtina, &c. Hic Patritius patrimonium non parùm adauxit. Vir digniſsimus certè, cujus nomen aliorum inſtar genealogica in arbore integrum exprimeretur, cui tamen & merito, & voluntati error aliquis ſeriùs animadverſus obſtiterat, nec niſi in parte prominentis ſcutuli initiales litteras indulſerat inſculpi.

# Barones de Wardes
# LESLIE.

## LXXXII.

PRimus Baro de WARDES Alexander, Scotiæ Quæſtor, tertiogenitus Guilielmi quarti Baronis de BALQUHANE ex IRVINA de DRUM, (ut diximus num. 56.) cujus tria gentilitia lauri ſylveſtris folia hæc familia Leſlæorum inſignibus addidit, fuitque aliquando opulentiſsima: Duxit Alexander in uxorem hæredem de BALCOMIE, ex qua præter Joannem quatuor ſuſcepit filias, quarum prima Joanna

poſt

poſt obitum primi mariti Guilielmi SETON Baronis de MELDRUM nupta eſt Joanni COLLESON, ſecunda N. SPENS Domino de BODDOM, tertia N. LIVINGSTONE Præfecto de DYSART, quarta N. SMALLEN fuit maritata.

## LXXXIII.

SEcundus Baro de WARDES Joannes quinq; habuit uxores; prima N. STUART prole caruit; ſecunda Margarita CRICHTONE, filia Dynaſtæ de CRICHTONE, & ſoror Jacobi Equitis Aurati, & Baronis de FRENDRAUCHT (cujus poſteri ſunt Vice-Comites de FRENDRAUCHT) peperit ei Alexandrum hæredem, & Margaritam D. de COLBARDIE nuptui traditam; tertia uxor N. FORBES, filia Baronis de EIGHT, & vidua Roberti STUART de DRYLAND genuit Walterum, & Guilielmum primum Dominum de WARTHLE, qui in primam conjugem duxit N. ROUAN matrem Joannis occiſi in pugnâ ad PINKIE, in ſecundam Joannam CRUCKSHANK, hæredem de WARTHLE, quæ ei liberos viginti, & unum progenuit, quorum octo Filij, & octo Filiæ matrimonium iniverunt parentibus ambobus non ſolùm adhuc vivis, ſed ita ſanis, & vegetis, ut ſimul cum omnibus liberis, & eorum conjugibus in ultimæ nuptiis ſaltârint. Ex numeroſa hac prole filius natu maximus Stephanus ſecundus de WARTHLE ſibi conſortem adſcivit Margaritam LEITH, Patritij Domini de LICKLYHEAD filiam, ex qua cum binis filiabus nati ſunt ei totidē filij, natu major Guilielmus tertius de WARTHLE nuptias contraxit cum Margarita GRAY, filia Guilielmi de TULLO, & ex ea habuit Jacobum, & Guilielmum de FOLLA; Jacobus quartus de WARTHLE matrimonium inivit cum N. ABERCROMBIE filia Walteri ex familia de BIRCKENBOGG, quæ peperit Guilielmum primogenitum, Jacobum de TOCHERS, Alexandrum virum eruditum, & Patritium; Guilielmus quintus D. de WARTHLE ductâ

ductâ in conſortem Annâ ELPHINGSTONE filiâ Jacobi Domini de GLACK, ex ea ſuſcepit Alexandrum, Guilielmum, Jacobum, & Joannem: Alexander Sextus de WARTHLE connubium inivit cum Eliſabetha GORDON filia Domini de BADENSCOTH; Guilielmus verò ejus frater Româ Patavium ab Eminentiſſimo Cardinali Barbarigo accerſitus eſt, ibiq; Sacram Theologiam vigeſimo tertio ætatis ſuæ anno docere incæpit eo cum ſucceſſu, ut univerſalem omnium applauſum, & ſingularem præſertim tanti Noſtri Mœcenatis commendationem, ac benevolentiam ſibi promeruerit; Nunc ſe detinet in Germania apud Excellentiſſimum Comitem Jacobum de LESLIE in æſtimatione multæ prudentiæ & probitatis: Guilielmus de FOLLA, alter ſupranominati Guilielmi tertij de WARTHLE filius accepit in conjugem N. ELPHINGSTONE filiam Domini de GLACK, ex qua natus eſt ei Jacobus de FOLLA, qui ex uxore N. MILNE filia Jacobi de MUNKSHILL procreavit Guilielmum, Georgium, & Jacobum: Secundogenitus Guilielmi primi de WARTHLE Normandus nuptias inivit cum N. GORDON; tertius Alexander cum Iſabella LESLIE filia Georgij Domini de KINCRAGIE, quartus Guilielmus cum Eliſabetha GORDON filia D. de ACHINDORE, quintus Joannes cum quadã Anonyma, ſextus Jacobus poſt obitum primæ conjugis Margaritæ DUMBAR nuptias inivit cum Iſabella CHALMER filia Domini de BABITHAN, quæ ei peperit Patritium, & Jacobum, Margaritam, & Marioram; Septimus Patritius connubio junctus eſt cum Anonymâ; Octavus Walterus ex N. N. procreavit Guilielmum, & Patritium cum aliquot filiabus: Et hæc de maſculâ Guilielmi prole dicta ſint: Filias ejusdem octonas quod concernit; primogenita Mariora Joanni LAMB, altera Margarita poſt obitum Alexandri LESLIE prioris mariti ſui Alexandro ANDERSONE, & tertiogenita Joanna ſenior extincto Alexandro CRUKSHANK filio Domini de TILLIMORGNE Georgio LESLIE eſt nuptui data, quarto loco

M nata

nata Chriſtina Joanni LESLIE de BUCHANSTON, quintogenita Clara Joanni SEINZIAR de NEWRAINE, ſexta Iſabella Jacobo CRUKSHANK filio Domini de TILLIMORGNE, ſeptima Joanna junior poſt mortem Alexandri LEITH Roberto ABERCROMBIE filio Baronis de BIRCKINBOGG, octava denique Andreæ LYEL de MIDLEHILL in conſortem ceſsit parentibus, ut ſupra dictum eſt, vivis adhuc, & vegetis. Regredimur nunc ab adductâ tertiæ uxoris prole, & deſcendente ab illa ſerie ad quartam Joannis ſecundi Baronis de WARDES uxorem, quæ fuit N. GORDON filia Baronis de HADO, cujus Succeſſor eſt Comes de ABERDEIN ſupremus nuper Scotiæ Cancellarius; hæc ei peperit Andream Dominum de BUCHARNE, de quo infra num. 91. & Eliſabetham priùs Roberto WEYNTONE, poſtea Andreæ MENZIES, & alteram Domino de AQUCHORSK nuptui traditam: ultima Joannis conſors N. CHALMER illi genuit Robertum interfectum ad PINKIE, & filias ternas, quarum natu major Annabella cum Andrea BRABNER, media Clara cum Patritio LEITH Domino de HARTHILL; minima Iſabella poſt obitum Guilielmi TROUP de CALMALEGGIE cum Andrea CRAIG filio Domini de CRAIGFINTRAY conjugium inierunt.

## LXXXIV.

TErtius Baro de WARDES Alexander ejus nominis ſecundus conſortem thori habuit Margaritam FORBES Domini de TOVIE filiam, ex qua nati ſunt ei cum filiabus ſenis filij tres: primogenitus Guilielmus hæres, alter Patritius de DUNCANSTONE matrimonium iniit cum Iſabella SETON, filia Guilielmi Baronis de MELDRUM; tertio loco natus Alexander Dominus de DYCE poſt obitum Iſabellæ filiæ Baronis de PITCAPLE duxit in conjugem ſecundam N. FRASER filiam Baronis de PHILORTH, quæ ei peperit filias binas, & quinque filios;

quo-

quorum natu maximus Alexander ſecundus de DYCE junctus eſt conjugio cum Anonyma HARVEY filiâ Jacobi Domini de ELRICK, ſecundogenitus Robertus nuptias contraxit cum Margarita CRAIGMYLLE, tertius Guilielmus matrimonium iniit cum N. LESLIE filia Roberti Domini de OLDCRAIG, quartogenitus Jacobus Capitaneus accepit uxorem N. LINDSAY filiam Domini de KILLFANES fratris Comitis CRAUFORDIÆ, ultimus Andreas acceptâ in conſortem primam N. FORBES filiâ Jacobi filij Domini de TARTOVIE, ex ea ſuſcepit filios binos in exteris Regionibus extinctos; hâc defunctâ in ſecundam conjugem duxit N. MOUBRAY filiam Domini de LOCHHILLS: & hæc de Alexandri de WARDES ex prima conſorte prole maſcula, aliaque ab ea deſcendente ſufficiant: filiarum nunc ſortem memoremus, quarum natu major Catharina nupſit Georgio CRICHTON de CONZE, ſecunda Joanna poſt obitum primorum ſuorum conjugum, ſcilicet Patritij GORDON Domini de ACHINDORE, & Baronis de FOVERN, tertium maritum habuit Robertum IRVIN Dominum de TILLILYNE fratrem Baronis de DRUM; tertia Alexandri filia primas nuptias inivit cum juniore Domino de PITFICHIE, ſecundas cum Laurentio LEITH; quarta ejuſdem filia Joanni INNES Domino de ACHLUNCART, quinta Alexandro BURNET de CRAGOUR, poſtrema Domino de THAINSTONE in matrimonium eſt collocata: Idem Alexander Baro de WARDES duas alias habuit uxores, Eliſabetham SETON filiam Guilielmi Baronis de MELDRUM, & Iſabellam MENZIES, ex quâ licet jam octogenarius ſuſcepit Leonardum, & Joannam ſine prole extinctos.

## LXXXV.

Quartus Baro de WARDES Guilielmus ejus nominis ſecundus ex conjuge Joanna INNES Domini de INNERMARKIE filiâ habuit ſex Mares, Joannem,

annem, Georgium, Guilielmum, Jacobum, Duncanum, Walterum. Primogenitus Joannes hæres, ſecundus Georgius Dominus de CRICHIE acceptâ in conjugem Mariorâ LESLIE filiâ Patritij Domini de KINCRAGIE, ex eâ filias binas, & totidem filios ſuſcepit, quorum primogenitus Joannes fuit inter Proteſtantes Epiſcopus Inſularum Scotiæ, deinde de ROFFO in Hybernia, ac demum de CLOCHER ibidem; alter Guilielmus extra Patriam occubuit; Filiarum Georgij de CRICHIE ſenior Joanna nupſit Normando LESLIE, & poſtea Alexandro HARVIE filio Domini de ELRICK; junior verò Ægidia N. BLACKHALL de BLACKHALL in conſortem eſt tradita; tertius Guilielmi Baronis de WARDES filius Guilielmus in uxorem adſcivit Eliſabetham OGILBY, filiam Georgij Equitis Aurati, & Baronis de BAMFE, cujus ſucceſſores ſunt Dynaſtæ; quartogenitus Jacobus ex conjuge Magdalena ERSKINE filia Baronis de PITTODRIE cum Margarita filia quatuor filios ſuſcepit, ſcilicet Joannem, Jacobum, Franciſcum, & Patritium, quorum primi duo iverunt in Hyberniam, ubi unus eorum in Proteſtantium Epiſcopum eſt electus; Duncanus quintus Guilielmi filius junctus eſt matrimonio Agneti KNAUS; poſtremus Walterus in tenera ætate è vivis diſceſſit.

## LXXXVI.

QUintus Baro de WARDES Joannes ejus nominis ſecundus acceptâ in conjugem N. CRICHTON, filiâ Baronis de FRENDRAUCHT, ex ea præter Joannem, & Guilielmum ſuos ſucceſſores; de quibus num. ſequenti, & 89. procreavit Normandum, qui poſt obitum primæ conſortis N. ELPHINGSTONE viduæ Walteri INNES de ARTANNIES in ſecundum thorum adſcivit Marioram LEITH Joannis Domini de HILLHEAD filiam, quæ ei peperit Joannem, Alexandrum, & filias binas;

nas: Joannes natu major ex conjuge N. GORDON progenuit Guilielmum NEWRAINE, Alexander verò natu minor de OVERTULLICH uxorem habet N. MORISONE ſororem Domini de BOGNIE, & ex ea filium Alexandrum. Suſcepit pariter hic Joannes Baro de WARDES ex eâdem Crichtonia tres filias, quarum natu major Joanni LEITH Domino de EDINGARACK, minor Mariora Gilberto JOHNSTONE, minima Chriſtina Georgio LESLIE de OLDCRAIG in conjugem data eſt.

## LXXXVII.

SExtus Baro de WARDES Joannes ejus nominis tertius, Eques Auratus Baronettus in conjugem elegit Eliſabetham GORDON filiam Joannis de NEWTONE, ex qua nati ſunt ei cum tribus filiabus tres filij, quorum primus Joannes Patri ſucceſſit, alij duo Franciſcus, & Alexander in Germania ſine ſobole diem obierunt: Filiarum primogenita Joanna defuncto priore marito Joanne GORDON de ABACHIE, ſecundum conjugium iniit cum Georgio GORDON: Eliſabetha ejus ſoror poſt obitũ primi conjugis Alexandri GORDON Equitis Aurati, & Baronis de CLUNIE juncta eſt matrimonio Georgio CURRIER pariter Equiti Aurato, & Vice-Colonello; Mariora verò ſororum minima primò Alexandro de BANNERMAN Baroni de ELSIK, & poſt eum Joanni FLESCHER Equiti itidem Aurato in conſortem eſt elocata.

## LXXXVIII.

SEptimus Baro de WARDES Joannes ejus nominis quartus, Eques Baronettus paulò poſt reditum ſuum ex Moſcovia infirmatus, matrimonio nondum contracto ê vivis exceſsit Aberdoniæ, ac propè tumulum parentis ſui Joannis tertij in Eccleſia de INCH fuit ſepultus.

## LXXXIX.

OCtavus Baro de WARDES Guilielmus ejus nominis tertius ſucceſsit nepoti ſuo Joanni, & acceptâ in conjugem N. GORDON filiâ Baronis de NEWTOUNE, ex ea præter filias ternas, filios procreavit quatuor, quorum primogenitus Joannes nullâ ex N. GORDON de MILTOUNE relictâ prole in bello Germanico occubuit; ſecundus Guilielmus matrimonium non inivit, tertio loco natus Patritius in pugna ad KILLSYTH occiſus eſt, poſtremus verò Alexander nuptias contraxit cum Anonyma DUMBAR vidua Domini de OVERHALL, quæ tamen & ipſa nullam ei ſobolem progenuit; unde Guilielmus hic fuit ultimus de WARDES ex Leslæorum familia: Filiarum autem ejus natu major nupſit N. LEITH, ultima Georgio JOHNSTONE Equiti Aurato Baronetto de KASKIEBAINE, media manſit innupta.

## XC.

IOannes Colonellus in Moſcovia ex familia de WARDES deſcendiſſe perhibetur, ſed quinam fuerint ipſius parentes, vel quæ ejus uxor, non conſtat: unum id innotuit, eum quinq; ex illâ liberos in Moſcovia progenuiſſe, de quibus ampliùs nihil compertum habemus.

# Domini de Bucharne, & de Cliſſon LESLIE.

## XCI.

DOminus de BUCHARNE Andreas filius Ioannis ſecundi Baronis de WARDES ex quarta uxore Gordona de HADDO (ut ſuperius retulimus

num 83.) conſortem ſibi adſcivit Violetam MENZIES Baronis de PITFODDELS Præfecti Aberdonenſis filiam, ex qua cum filiabus ſenis, duodecim ſuſcepit filios, quibus in honorem duodecim Apoſtolorum ſacra eorum nomina impoſuit: ex filiis Andreas ſecundus de BUCHARNE duxit in uxorem Joannam KEITH filiam Domini de PETTENDRUM filij Comitis de MARSCHAL hæreditarij Scotiæ Mareſchalli, ex ea habuit præter duas filias ſex filios, quorum primus Alexander tertius de BUCHARNE ex conjuge Agnete GORDON filiam unicam dictam Eleonoram progenuit, ſecundus Georgius de HILLBRAY initis nuptijs cum Mariora ANNAND filiâ Guilielmi de PITGUENIE ex ea ſuſcepit tres filios, Guilielmum, Andream, & Alexandrum mortuos ſine ſucceſſione, & filias binas, Joannam ſcilicet, & Margaritam; tertius Andreæ ſecundi de BUCHARNE filius Guilielmus poſt obitum primæ conjugis (ex qua natus eſt ei Andreas, qui ex uxore Margarita HAY procreavit Jacobum) ſecundum matrimonium iniit cum Margarita INNES filia Joannis Domini de ACHLUNCART, & ex ea procreavit Georgium, & quatuor filias: De reliquis Andreæ ſecundi de BUCHARNE liberis nulla habetur mentio, ſicut neque de filiis, & filiabus Andreæ primi præter Philippum, de quo num. ſequenti, & Bartholomæum, qui defunctâ priore conjuge Mariorâ DUNN Domini de KETTIE filiâ (ex qua procreavit Robertum, & Iſabellam) in ſecundam conſortem accepit Eliſabetham GARIOCH filiam Domini de KILLSTAIRS, & ex ea Guilielmum, & Alexandrum ſuſcepit.

## XCII.

DOminus de VERGENE Philippus filius Alexandri primi de BUCHARNE in Gallias cum Domino de LAVALLE MONTMORANCY profectus, & Capitaneus factus in legione Piccardiæ uxorem

rem duxit ejuſdem conſanguineam Margaritam de LAVALLE MONTMORANCY filiam Domini Arthuri, ex qua ſuſcepit Carolum hæredem, & familiam ibidem ſtabilivit affinitate conjunctam cum Illuſtrioribus Galliæ proſapiis, ex quibus Montmoranciana quinque magnos Conſtabularios, Cliſſoniana verò unum Galliæ dedit: gerit hæc familia eadem inſignia, quæ Leslæi in Scotia, tres ſcilicet fibulas baltheo cæruleo in campo argenteo inſertas: ſed cognomen juxta pronunciationem Gallicam LELE, & LELOY communiter ſcribit, omneſque ferè ex ea ante provectam ætatem caſtra ſequentes occubuerunt.

## CXIII.

CArolus primus Dominus de CLISSON ex ſtirpe Leslæana, Capitaneus pariter in legione Piccardiæ matrimonium contraxit cum Anna de CLISSON filia Domini de CLISSON, & de LA TOUCHE Præfecti Arcis ANGHIN, ex qua natus eſt Nicolaus.

## XCIV.

SEcundus Dominus de CLISSON Nicolaus Capitaneus in legione Normandiæ nuptias inivit cum Magdalena de LA PERIERE filia Joañis Equitis, & Domini de PERIERE, & ROSCH Capitanei equitum, ex qua progenuit Petrum.

## XCV.

TErtius Dominus de CLISSON Petrus Capitaneus in legione Helveticâ conſortem habuit Annam LETAR de BEAUVAIS filiam Guilielmi Domini de LA GRANDEMAISON, quæ ei peperit Franciſcum hæredem, & Petrum maritum Dorotheæ de

Bu-

Buzelet, ac ex ea Patrem alterius Petri in tenera ætate defuncti.

XCVI.

Quartus Dominus de Clisson Franciſcus Eques de Ricardiere, Bersilieure, Sabousson Capitaneus in legione Regia maritima, & Aulicus Regis Chriſtianiſſimi in conjugem duxit Perinam Sevault, ex qua habet quatuor filios, duos Eccleſiaſticos, Nicolaum ſcilicet Priorem, & Carolum Canonicum cum duobus Laicis, quorum alter Franciſcus eſt Capitaneus in legione Borbonica, alter N. in legione Averniæ, & Inſpector copiarum in Belgio.

## Domini de Newleslie

## LESLIE.

XCVII.

Primus Dominus de Newleslie Georgius quartogenitus Guilielmi quarti Baronis de Balquhane ex ſecunda uxore (ut diximus num. 56.) duxit in conſortem Conſtantiam Ramsay filiam Baronis de Dallhoussie, (cujus ſucceſſores ſunt Comites) & ex ea ſuſcepit præter Walterum, & Alexandrum (de his num. ſequenti, & 103.) filias ternas, quarum natu major Baroni de Leslie, media Anonymo Veynton filio Domini de Cochlerichie, minima Alexandro Forbes de Finziacht in conſortem eſt tradita.

XCVIII.

Secundus Dominus de Newleslie Walterus, vel ut alij ſcribunt, Balthaſar matrimonio inito cum Beatrice Bisset filia Domini de Lessen-

